note folding plate

Encomia ...

IHS

DIVO
Francisco Borgiæ

è Duce Gandiæ tertio Soc. IESV Generali
à Clemente X. Pont. Max.
Sanctorum Cælitum faſtis adſcripto
Collegij Encomia [illegible]
Emblemate, proſâ, Verſu
In æde Salvatoris Soc. IESV ad S. Clementem
[illegible] Publicè affixa [illegible]
In perpetuum amoris monumentum
ære ac typis incidi fecerunt,
[illegible]
Dum Philosophiam eius auſpicijs cœptam
Primâ laureâ coronarent
Phyſici Pragenses
Anno 1672
Mense die

J.G. Dampierviel sculp.

D. FRANCISCO BORGIÆ DUCI GANDIÆ, PROREGI CATALAUNIÆ TERTIO SOCIETATIS JESU GENERALI.

FRANCISCE! *diximus omnia: vix philoſophari cæpimus, Te Auſpicem accepimus, Te Unum, omnia in Uno. Si enim Philoſophia noſtra eſt cithara ex omnium cordibus in tui amorem concordata: Tu Orpheus es, qui venationibus olim aſſuetus integras etiam ſylvas in retia traxiſti. Si Philoſophia noſtra eſt annulus, quo deſponſata nobis eſt Sapientia: Tu in hoc annulo adamas es, quem ſic adamant omnes, ut ijs nihil tam ſit cordi, quàm Tu Cor omnium, omnium delicium. Si Philoſophia noſtra eſt lingula magnetica: Tu polus noſter es, quem cùm reſpicimus, in Meridie dilectum invenîmus, & in linea meridiana deliciosè quieſcimus. Si Philoſophia noſtra Corpus eſt: Tu Anima es, qui ex Iſabellæ cadavere vitam, & cum vita novam animam hauſiſti. Si deniq; Philoſophia noſtra datus in diſputationem Mundus eſt: Tu Mundi Spiritus es, in quo ſperamus, dum ſpiramus: nec aſpirare nobis poſſunt amæniores Venti, quàm favorum Tuorum divini Favonij.*

Et quomodo nobis nō esses omnia, qui sic omni versatus es in scientia, ut sit nulla, quæ non à Te videatur esse usq; ad fundum exhausta. Es Flos Poëticæ: tam Heroicus, ut mundum aliter non metireris, quàm pede, quo ea, quæ mundi sunt, conculcâsti. Es osculum Oratoriæ: tam Metaphoricus, ut è loco proprio, qui erat in Tua Gandia, Te cum virtute transtuleris in alienum, Religionis domicilium. Es Corona Dialecticæ: tam ingeniosus, ut etiam subtilissima adverteris Mundi sophismata, quæ cùm aliter eludere & elidere non posses, ivisti spontè Religiosus pænitens in saccum.

Es gloria Physicæ: tam perspecta habuisti omnia, ut totus mundi circulus tibi non videretur esse aliud, quàm unica circularis Nulla. Es caput Metaphysicæ: in Mundo extra Mundum positus, trans Naturam in Ente entium totus. Es ocellus Medicæ: scivisti ex aphorismis Galeni in acutis morbis mittendum esse sanguinem: ardebas, sic amabas: pro scalpellis ergo arripuisti flagella, & non semel te totum quantum acerrimâ cruentâsti phlebotomiâ. Es Corculum Jurisprudentiæ: pro ipso Deo causam egisti, Deum ipsum Clientem habuisti. Es deniq; Triumphus Theologiæ: Objectum Tuum ita fuit Deus Trinus & unus, quasi ultra tria numerare non posses. O Francisce! quàm bene philosophari cæpimus Te Auspice, Vir omnium scientiarum*; qui vel ideo in Academia Gandiensi creatus non tam in lauro, quàm auro Doctor, in torque aureo novus Torquatus. Verè, verè auspicatum sumsimus à Te auspicium, qui Te Duce sic cucurrimus, ut jam in bravio positi, primas laureas teneamus. Stamus coram Te laureati Clientes Tui, imò cadimus, & facimus, quod viginti quatuor seniores Apocalyptici: deponimus laureas coronas nostras, & cum illis nos ipsos Tuis pedibus substernimus.*

Devotissimi Clientes

PRAGENSES PHYSICI.

N O-

NOMINA

ILLUSTRISSIMORUM, PERILLUSTRIUM PRÆNOBILIUM, GENEROSORUM, REVERENDORUM, NOBILIUM, AC ERUDITORUM,

DD. NEO-BACCALAUREORUM

Qui

à REV. ac DOCTISSIMO PATRE

GEORGIO FIRMO è SOCIETATE JESU AA. LL. & PHILOSOPHIÆ DOCTORE

Nec non in Vniverſitate Pragenſi ejusdem Facultatis
Profeſſore Publico ac Ordinario, eodémq;
Promotore,

Primâ Philoſophiæ Laureâ Donati ſunt.

ILluſtriſſimus ac Eruditus D. Ferdinandus Maximilianus Wenceslaus Ignatius Leopoldus Herſan S. R. Imperij Comes ab Harraſs Boëmus.

Perilluſtris Gener. ac Eruditns D. Chriſtianus Coſmas Damianus de Cunigam Eques Sileſius Saganenſis.

Perilluſtris Gener. ac Eruditus D. Franciſcus Ignatius Leopoldus Henricus Zaborsky de Brloh Eques Boëmus Kraſelovienſis.

Perilluſtris Gener. ac Eruditus D. Joannes Raymundus Göhl Eques à Pothorſtein Boëmus Neoforenſis.

Perilluſtris Gen. ac Eruditus D. Joannes Adamus Maximilianus Macht de Löwenmacht Eques Boëmus, Pragenſis.

Perilluſtris Gener. ac Erud. D. Wenceslaus Ignatius Pieronij de Galliano Eques Auſtriacus, Viennenſis.

Perilluſtris Gener. ac Eruditus D. Wenceslaus Carolus Joſephus Weidtling de Rittersberg Eques Boëmus, Crumlovienſis.

Prænobilis Gener. ac Eruditus D. Balthaſar Tobias Tirchner à Müllenau, Boëmus Pragenſis.

Prænobilis ac Eruditus D. Carolus Mathias Zettl Boëmus Pragensis.
Prænobilis Gener. ac Eruditus D. Ignatius Kyblin à Waffenburg Boëmus Pragensis.
Prænobilis ac Eruditus D. Joannes Georgius Ernestus Schambogen Boëmus Glacensis.
Prænobilis ac Eruditus D. Joannes Casimirus Schauer de Augenburg, Litvanus Vilnensis.
Nobilis ac Eruditus D. Adamus Carolus Ferdinandus Pinwiczka de Radosticz Boëmus Chrudimensis.
Nobilis ac Eruditus D. Antonius Guilielmus Martys de Bystrzicze Boëmus Pragensis.
Nobilis ac Eruditus D. Augustinus Lehman Boëmus Glacensis.
Nob. ac Erud. D. Carolus Josephus Hübel de Straden Boëmus Pragensis.
Nob. ac Erud. D. Carolus Aug. Pirchan ab Elbing Boëmus Poczatensis.
Nobilis ac Eruditus D. Franciscus Guilielmus Besold de Berndorff Boëmus Cubitensis.
Nob. ac Erud. D. Franciscus Anton. de Greiffenbach Boëmns Pragensis.
Nobilis ac Erudtus D. Hen. Ignat. Felix de Turtenstein Boëm. Policzensis.
Nob. ac Erud. D. Joannes Christophorus ab Heyn Silesius Wetzsitsensis.
Nob. ac Erud. D. Joannes Krumpkriger de Ziesberg Boëm. ex Comitatu Glacensi.
Nobilis. ac Eruditus D. Joannes Ignatius Baufeldt Boëmus Pragensis.
Nobilis ac Erud. D. Joannes Franciscus Teisinger de Teisingen Boëmus Rabensteinensis.
Reveren. Nob. ac Erud. D. Maximilianus Rudolphus Graff ab Altdorff Boëmus Littomericensis ex Seminario S. Wenceslai.
Nobilis ac Eruditus D. Wenceslaus Joannes Franciscus Rochus de Lindenfels Boëmus Austensis ad Albim.
Eruditus D. Adalbertus Josephus Hirsch Boëmus Arnoviensis.
Eruditus D. Andreas Thaddæus Opitz Boëmus Lippensis.
Eruditus D. Andreas Schmidt Boëmus Schlackenverdensis.
Eruditus D. Apollinaris Joannes Pascha Boëmus Tynhorssoviensis.
Eruditus D. Augustinus Ignatius Gertler Moravus Neotitschinensis.
Eruditus D. Balthasar Josephus Ignatius Röttig Boëmus Schluckenaviensis ex Seminario S. Wenceslai.
Eruditus D. Carolus Jaroslaus Ferdinandns Wostrzessansky Boëmus Kuttenbergensis.

Erudi-

Eruditus D. Caſparus Antonius Adler Noricus Egrenſis.
Eruditus D. Caſparus Joſephus Lorentz Luſatius Oſtricenſis.
Eruditus D. Chriſtianus Joſephus Haſſel Boëmus Schabovienſis
Eruditus D. Chriſtophorus Franciſcus Antonius Volckman Boëmus Schônbachenſis.
Eruditus D. Elias Ignatius Wiskoczelius Boëmus Trebonenſis.
Eruditus D. Ferdinandus Erneſtus Winbersky Boëmus Prag. Inclyti Regni Boëmiæ Alumnus liber, ex Convictu S. Bartholomæi.
Eruditus D. Franciſcus Carolus Haintz Boëmus Neündorffenſis.
Eruditus D. Fridericus Guilielmus Waſſerford Weſtphalus Eſſendienſis.
Eruditus D. Gallus Gedliczka Boëmus Holeiſſovienſis.
Eruditus D. Georgius Martinus Kuntze Sileſins Burckendorffenſis.
Eruditus. D. Georgius Adalbertus Neüwerdt Boëmus Pragenſis.
Eruditus D. Georgius Sebaſtianus Reinheld Sileſius Fridenbergenſis.
Eruditus D. Georgius Martinus Alexius Stella Boëmus Lithomiſslienſis,
Eruditus D. Gerardus Gregorij Belga Vervienſis.
Eruditus D. Godefridus Haintz Boëmus Fridlandenſis.
Erud. D. Guilielmus Antonius Ignatius Hineck Boëm. Bavorovienſis.
Eruditus D. Guilielmus Ignatius Khettner Boëmus Neo-Boleslavienſis.
Eruditus D. Henricus Joſephus Helffer Boëmus Kemnicenſis.
Eruditus D. Henricus Pipius Vitopolitanus ex Ducatu Luxemburgenſi.
Eruditus D. Henricus Auguſtinus Dominicus Senger Boëmus Kreibicenſis ex Seminario S. Wenceslai.
Eruditus D. Jacobus Grün Boëmus Dubravienſis.
Eruditus D. Ignatius Sudlicze Boëmus Reginæ Hradecenſis.
Eruditus D. Joannes Henricus Erneſtus Barthell Boëmus Lippenſis.
Eruditus D. Joannes Georgius Celler Sileſius Niſſenſis.
Eruditus D. Joannes Hermenegildus Czerwenka Boëmus Lithomiſslienſis.
Eruditus D. Joannes Ignatius Joſephus Elſtner Luſatius Oſtricenſis.
Eruditus D. Joannes Henricus Heilmon Moravus Iglavienſis.
Eruditus D. Joannes Michaël Franciſcus Himmer Noricus Egrenſis.
Eruditus D. Joannes Ignatius Hlynetsky Boëmus Hlyneczenſis.
Eruditus D. Joannes Franciſcus Joch Sileſius Toſtenſis.
Eruditus D. Joannes Wenceslaus Franciſcus Koch Boëmus. Auſtenſis ad Albim.

Erud. D. Joannes Ignatius Julianus Mickſſanek Moravus Skaliczenſis
Eruditus D. Joannes Roth Boëmus Crumlovienſis.
Eruditus D. Joannes Schüttl Boëmus Dobrzanenſis.
Eruditus D. Joannes Alexius Franciſcus Turnowsky Boëmus. Altomautenſis.
Eruditus D. Joannes Franciſcus Weywoda Boëmus Jaromirienſis
Eruditus D. Martinus Joſephus Judas Thaddæus Kryzſtke Sileſius Oppavienſis.
Eruditus D. Matthæus Franciſcus Patzenhauer Boëmus Kemnicenſis ex Seminario S. Franciſci Xaverij.
Eruditus D. Michaël Antonius Bergman Boëmus Gablonenſis.
Eruditus D. Michaël Heys Carniolus Kurchfeltenſis.
Eruditus D. Michaël Köhler Boëmus Planenſis.
Eruditus D. Michaël Antonius Wagner Sileſius Batzdorffenſis.
Eruditus D. Petrus Paulus Swatek Boëmus Novodomenſis.
Eruditus D. Samuel Eraſmus Fritz Boëmus Trautnovienſis ex Seminario S. Wenceslai.
Eruditus D. Thomas Franciſcns Czapek Boëmus, Brzeznicenſis.
Eruditus D. Thomas Franciſcus Xaverius Sapa Sileſius Chrauſtenſis.
Eruditus D. Vitus Felix Miller Boëmus Pergreichenſteinenſis.
Eruditus D. Vitus Ignatius Rauczka Boëmus Niemnioviczenſis.
Eruditus D. Zacharias Franciſcus Gertler Moravus Neotitſchinenſis.

AD

ILLUSTRISSIMOS, PERILLUSTRES PRÆNOBILES GENEROSOS, REVERENDOS, NOBILES, ac ERUDITOS

DOMINOS

D. NEO-BACCALAUREOS.

QUos Laureato vertice Principes?
Aut quam Deorum progeniem, ſuam
Produxit in ſcenam Minerva?
Hóſne Jovi peperit Nepotes?

Grynæi ut illos Barbita Numinis!
Ut Plectra Clius! Calliopes chelys!
Ut tibiæque arundinésque
Aonios celebrant ad amnes!

Illis bicolli Delphica culmine
Se luxat Arbos: Tempora Laureis
Frontémque gaudet Eruditam
Baccifero redimire Serto!

Agnoſco docto Pulvere Sordidos!
Illuſtre noſco Czechiadûm Decus!
Quos Obſtetricantis Laboris
In gremio genuit Minerva!

O! digna cœlo nomina! Fulgidis
O! inſerendos Sideribus Sophos!
Digni coruſco quos ad aſtra
Phæbe vehas rapiásque curru.

O! Digna Pindi Tempora Laureis!
Inter Sophorum Docta Volumina
Sudare quos Pallas, Cleanthis
Ad Vigiles ſtupuit Lucernas.

Nondum Deorum concilium Patet?
Necdum propinat Pocula nectaris
Jovis Miniſter? aſtra necdum
Phæbiphorâ petitis curuli?

Huc huc novenis Septe Sororibus
Quem Thure Delphos, quem Tenedos, colit;
Currum Eruditæ cede Turbæ,
Pegaſeámque Fave curulem.

Frænate Muſæ Pegaſon! æmulas
Phæbi Quadrigis Triptolemus Rotas
Miniſtret, ereptósque Terris
Aſtra ſuper vehe Laureatos

Pallas

Pallas Clientes! Nubibus inſere
Ultra Ferendos Sidera vertices:
Divinioris quos Sophia
Participes jubet eſſe vitæ.

Audimur! an me ludit amabilis
Imago? Fallor? Gemmiferis Deæ
Phlegonta bigis Pegaſónque
Et Volucrem Pyroenta jungunt.

Jam Laureatam Cecropiæ rapi
Ad Aſtra, cerno, progeniem Deæ
Novíſque jam, propinqua Phæbo
Sideribus ſtatio paratur.

Novos ſaluta Cynthie Phosphoros:
Novíſque Phæbe gaudeat Heſperis,
Amater illis Diva, Sedem
Æthereos parat inter Ignes.

Hæc fixit axi Sidera ſtelleo
Caligo! Soles Cecropidûm dedit
Hos invidendo Diva partu;
Progeniem Jove Patre dignam.

Ergo ſecundis Turba Favonijs
Ad Aſtra, Phæbi perge curulibus;
Jubárque Frontis Eruditæ
Sideribus Sociata prome!

Egreſſa Terras æmula Perſei
Seca volatu, quòd Dialectices
Roſíſque ſparſum Laureíſque
Pallas iter Charitéſque monſtrant.

Lucete, nuper Terrea Lumina
Nunc pulchriores Sideribus Faces
Fulgete, Doctrinæque Flammis
Æthereas ſuperate Flammas!

HUC



SanCtVs FranCIsCVs BorgIa, SoCIetatIs IESV tertIVs à SanCto IgnatIo GeneraLIs à ChrIstI VICarIo honore SaCro DonatVs, CVLtVI et VenerationI orbIs ChrIstIanI proposItVs

HUC
OCULUM DEFIGE SIS
LECTOR.
VIRUM HIC LEGES,
IN QUO QUIDQUID VIDERIS
EST LECTISSIMUM.
FUIT SEMPER MAGNUS
SED TUM MAXIMUS CUM è MINIMIS.
HONORES FUGIENTEM
PERTINACIUS SUNT SECUTI,
NEC DESISTUNT HODIE:
POST TERRESTRES
ASSECUTI SUNT COELESTES

CUM

A CLEMENTE
DECIMO
DEI ORACULO
PRONUNCIATUR,
SANCTUS.

A SAN-

SANCTUS

FRANCISCUS BORGIAS

In ſpes altiſſimas nobiliſſimis, & Regum propinquis ortus parentibus.

ODE.

FRANCISCE magnis edite Regibus,
Et Celtibero ſanguine nobilis,
Quis ſplendor hic te purpurato
Excipit auſpicialis Ortu?
Auctore ab illo ducis Originem,
Qui Ferdinandi, nomen, & Imperî
Faſces Iberi, glorioſus
Tranſtulit ad Zygios & Indos.
Sed hem! quid iſtud? Tanta Meridie
Lux æviternas in tenebras ruet?
Averſor omen, nî ſerenus,
Poſt obitum, redeas ab umbris.

PROGNOSTICON.

Dic quid adultus erit, cujus ſic purpurat ortus?
An purpuratus, Præſulem
Præeminebit oſtro?
Imò haud purpureo, pullo ſe condet amictu,
Sic nubibus Sol conditur,
Qui purpurat ſub ortum.

SAN-

S. FRANCISCI
Infantis prima verba
JESUS MARIA.
ODE
AD APES PLATONIS.

ITe mellitis operata dudum
Turba Ariſtæi ſtudijs, Meliſſæ,
Ite poſt longum placidas laborem
Quærite ſedes:
Quondam Erechtæi pueri ſubîſtis
Labra, ceû nullam ſtatio quietem
Gratior ferret, nisì quam locarent
Ora Platonis.
At, quid inſuaves juvat ire, porrò
Per favos Hyblæ, ſteriléſque ceras
Quando FRANCISCI labra dulce miſcent
Melle butyrum.

EPIGRAMMA.
Ad eaſdem.

Cecropij libâſtis apes labra, & ora Platonis,
Dulcia quòd qnondam verba datura forent.
Cur non FRANCISCI nunc dulcia ad ora volatis,
Quæ dant prima ſuis mellea verba ſonis?

S. FRANCISCVS BORGIAS
ADOLESCENS,
Solicitè educatur & futuræ pietatis
Rara edit ſpecimina.

EPIGRAMMA.

MUltùm crede mihi, refert, quo planta labore
Curetur, teneris cùm viret illa comis:
Nè ſubitò in ſteriles frondeſcat parva ſtolones,
Neú nimis in putri languida ſerpat humo.
Sæpè etiam ſeptis opus eſt, nè péſve manúſve
Sauciet, aut violet calce vel ore pecus.
O! felix omen de Te Franciſce, ſeveris
Quem cohibet ſeptis provida cura patris.

Aliud.

Pictor Parrhaſiâ celebris arte
Ut primùm rude ducit in tabella
Exemplum iconis, illico pateſcit
Quo ſit digna loco futura imago:
Privato lare num colenda, an inter
Auguſtos, ubi luculentiore
Fragrant thura foco, ſereniúſque
Templis irradiant faces, Penates?
Sic Franciſce tener, ſacras ad aras
Cum Myſtis operam frequens miniſtras,
Et tam ſæpe imitaris ipſe Myſtas,
Jam nunc cernitur, indoléſque prodit
Olim qualibus admovendus aris.

SAN-

SANCTUS
FRANCISCUS BORGIAS

Fœminarum conſortia devitat, nec unquam, etiam officij causâ, Gynæceum nisì cilicio accinctus accedit

MONITUM.

NEſcitis quæ bella Viri, quæ prælia vobis
Intentent inimicæ acies, quas fœmina miris
Componit, vel amica dolis. Ne fidite! teſtor
Laomedontiadas, teſtor ſexcenta Pelaſgûm
Funera, Pergameis nondum ſat tecta ruinis!
Nec ſolùm his Phrygias inceſtat adultera terras
Ledæa, aſt ſimiles etiam caſtiſſima clades
Œbalis Argolicos ſparſit malè amata per agros.
Quid? quòd & Herculeæ necis author fœmina, quid? quòd
Filia ſæpe ſui capiti non fida parentis
Interitúmque dedit fatóque immerſit acerbo.

EPIGRAMMA.

BORGIA quid cauſæ? fuerit quòd fœmina tantus
  Hoſtis? ab hac nunquid non tibi parta ſalus?
Parta ſalus dicis, ſed quæ cauſatur ab hoſte
  Dum moritur: prodeſt mortua; viva nocet.

SANCTUS FRANCISCUS BORGIAS

In publicis negotijs & vita Aulica, nihilum à pietatis & virtutum calce deflexit.

ODE.

AT non tam procul omnibus,
Ut fingunt, pietas pulsa palatijs:
Non Aulas ità Principum
Occlusit rigido vecte negotium
Quin hìc, sæpe recessibus
Virtus in penitis, sublegat otium.
Et quam vel superûm chorus
Miretur, vigeat, Relligio & FIDES.
Hìc sæpe inclyta CASTITAS
Efflorent niveis æmula lilijs,
Hìc cum JUSTITIA locum
Exambit proprium REGIA LARGITAS.
Testis BORGIA maximus
Virtutum speculum ac ectypon omnium.

SAN-

S. FRANCISCUS BORGIAS
In aucupijs, oculos à ſpectaculi voluptate avertit.

ODE.

HUc, cuncta ſtellis æmula lumina
Vultûs pyropi; quos Erymanthidos
Frondoſa ſolantur vireta
Aut ſtudia exhilarant Dianæ.
Vt ungue adunco pennigeros greges,
Propellit infrendens Haliæelon
Totóque conatu laborat
Tollere Chaoniam catervam.
Prædo volucrum cernite! Jam ruit
Emiſſus unco præpetis aucupis
In alites, eviſcerátque
Idaliam rabidus volucrem.
At quò reducis lumina BORGIA?
Quid triſtè ſpectas pulvereum ſolum?
Tuísne tellus gratiores
Luminibus facit atra ludos?
Fallor; penetrant lumina lyncea
Telluris Orbem. Tartareos vident
Atro perennes aucupari
Sic animas Cephalos Averno.

EPIGRAMMA.

Falco dum pulchro prædam certamine captat,
BORGIA ſpectator non niſi cœcus ades:
Et ſtygij prædam prædonis mente revolvis,
Clauſo, quàm patulo lumine plura vides.

SANCTUS

S. FRANCISCUS BORGIAS AUCEPS.

PRælia, Gandiacis plusquam Pharsalica pratis
Scyllæam volucrum rabiem, bella horrida bella
Et Scironeum (tantúsne volucribus ardor,
Tantæ animis iræ?) pennati pectoris œstrum,
Alituum infrænes æstus, Regúmque Ducúmque
Delicias, Francisci oculis cantare negatas
Mens congesta jubet: Proles Latonia, tellus
Delphica, cûi servit faciles in carmina motus
Phœbe fave vati. Sacros afflate furores
Castalides, Clariúmque melos dictate canenti.
Tempus erat, quo tristis hyems Garamantas ad ipsos
Ipsam ultra Thulen, ultra Alcidísque columnas
Exulat, ignivomis vernum quo cornibus annum
Taure aperis, vestitur humus, vestitur & arbos
Flore novo, nemorum redit hortorúmque voluptas,
Gramineus reparatur honos. Cùm multus aviti
Sanguinis Actæon, Cephali de stirpe, severis
Curarum stimulis, vigili mentémque tumultu
Exonerare jubet Franciscum, figere telis
Seu placeat cervos, volucres seu fallere lino
Invitant: Ergo comitum stipante catervâ
Progreditur, colles solerti indagine cingunt
Frondosos lustrántque sinus, si quæ abdita vasto
Præda latet, saltu quærunt: clamoribus antra
Responsant raucis Dorcêi latratibus Echo.
Venandi placuit studium non omnibus unum
Scissi animis abeunt: huîc fulminis ocyor alis

Ster-

Sternebatur aper ferratâ cuſpide, cæſi
Terram alijs cervi mordent, at vertice collis
Signa canunt alij; cæcis pars ſaltibus errat,
Pars ambit ſylvas laqueis; venabula ferro
Horrida fulmineis opponunt dentibus urſi.
Aſſyriam talis quondam per devia prædam
Nympharum ſociata choris Diana petebat,
Ætolíque comes Meleagri Atalanta, minacem
Enſe locavit aprum. Sed non his Borgia mentem
Sollicitum laxare jocis, aut pellere curas
Certus, Marmaricis indicere prælia pardis
Abnuit, & vaſtos laqueis circumdare ſaltus.
Non in Maſſylas venabula ſtringere prædas
Getulos agitare apros, aut Herculis inſtar
Æripedes jaculis placuit configere cervas.
  Sed findens liquidas vaga turba volatibus auras
Pennigeri placuêre greges. Vernantia campi
Æquora, laſcivis Dryadum celebrata choreis
Nympharum prata apta jocis, petiêre, volucrem
Alituum prædam, non lino aut ilicis eſcâ
Inſidijs cupidi, non illaqueare doloſis
Retibus incautas vel fallere glutine viſci,
Ornithoclops ſed ubi truculentus in aëre falco
Stymphalio volucres prædabitur ungue, cruenta
Viſuri properant ſpectacula. Cantibus omnis
Tinnîbat latè campus: variantur amænis
Dorica, metra modis: in Dædala guttura Phæbum
Caſtaliáſque Deas volucrum migrâſſe putares;
Aut ex Orphea prognatos ſtirpe choraulas.
Illic parvarum volucrum non parvula Siren
Spinulus, arboreæ pendens in vertice frondis

 Dulce

Dulce edebat epos: vocalior omnibus una
Frondoſas inter per amica ſilentia ſcenas
Atticus hortorum Philomela canebat Arion.
Seu ſalices inter (campeſtria regna) ſederes
Seu Dryadum umbroſum laſſus penetrale ſubires,
Tecta habitata feris, modulis nemus omne canoris,
Mellifluis omnis ſonuit concentibus aër.

Ergo per undantes ſinè lege ſinè ordine campos
Dum vaga turba errat, tollítque ad ſidera voces,
E glebis ſubitò, quas multa inſederat ales,
Ardua multiplici ſurgebat alauda volatu,
Ora ſimul, pennáſque levans. Jam pendula, more
Hippodromi urgebat tremulos galeata labores;
Aonium tereti depromens gutture carmen.
Paſtorum decimam dixiſſes aëra muſam
Metiri, aut volucrum regali ſtemmate natam,
Aſcenſu artifici gyrare volumina mille
Caſſitam tremulo liquidas dum circinat auras
Remigio alarum: Jovis ultra regna profectus
Et lunæ ſedes, Antropophagíque volârat
Saturni ſidus, ſtellata palatia Martis
Tranârat, Cypridóſque faces: Franciſce tuorum
Non tamen è comitum, non è Falconis, alaudæ,
Migravêre oculis alæ, ſuper aſtra levaret
Quâ ſe parte ales, quà gyraretur, in altum
Ventivolis gradibus, curſúmque viámque notârat
Prædator volucrum: vix miſſus, turbinis inſtar
Fulmineo petit aſtra gradu per inane, cruentam
Jam roſtro meditante necem. Gyratur in orbem
Ignarus Caſſita mali; rapit ungue canentem
Ornithoclops Falco, Polyphemeóque gementem

Dente

Dente ferit, triſtes oculos lacrymoſior olli
Obijcere, & ſævi prece lenitura furorem
Tityus alatus, pennatus Alauda Prometheûs
Caucaſo in aërio miteſcere poſtulat iras
Singultus inter: nil Falco voce precantis
Alati Tityi, furiâ ſtimulante, movetur,
Nec miſeros audit, gemitus, crudeliùs inſtat
Clamanti, repetítque ictus & vulnera; vellit
Criſtatum ungue caput: talis lymphata furore
Penthea ſpretorem Bacchi diſcerpſit Agave
Tiſyphone Eumenidum è numero, non Mater, Agave.
Talis & Æetis patrias ad Phaſidos undas
Abſyrthum, & tecti geminos in culmine natos
Matrem exuta, truci diviſerat impia ferro.
Sanguineum interea tumulandæ in ventre volucris
Ornithoclops prædo, mergebat in ilia roſtrum;
Applausêre viri: reſonat clamoribus æther;
Et jucunda animo vix ſe capiente, furentis
Prælia falconis, ſpectacula digna Nerone
Deliciáſque probant oculi: non Borgia, virtus
(Delicium ipſa ſibi) mentis ſtudiúmque domandæ,
Tyreſiam fecit, lumen dum clauſit utrúmqne
Gandiaco Oedipodi, roſtro è Falconis adunco
Caſſitam Heroi vetuit ſpectare trementem.
Borgia centoculo cuſtode oculatior Argo
Oedipe macte animis. Non Juno hæc lumina quondam
Inachiæ volucri, ſed virtus inſeret aſtris.
Borgia vive, precor, ter felix Oedipe vive!
Illi pennatum Cadmæa ad mœnia monſtrum
Sphinx, volucrum prædo peperit, tibi Falco triumphum.

SANCTVS FRANCISCUS BORGIAS Fœlicicissimus Venator.

EPIGRAMMA.

DUlce ſonant moti feſtivo carmine clivi,
Concuſſum cornu plaudit utrinque nemus.
Scilicet à læto debellatore ferarum,
Conclamant rauco Mænala tacta ſono.
Oſtentantur apri; præfixam currit in haſtam
Cervulus, Heſperias qui modò ſuxit aquas.
Falco pennatas volucres, & odora canum vis
Molle genus lepores per vaga teſqua legit.
Aſt quid FRANCISCUS? meliorem credo tuliſſe
Partem, *quando oculos ceperat ille ſuos.*

SAN-

S. FRANCISCVS BORGIAS Prorex Cothalauniæ, Clementiam ſeveritati admiſcet.

ODE.

SI nunquam medico, ſanguine turgida
Cædatur gladio vena, brevi cruor
In tabum reſolutus,
Funus conſtruet artubus:
Ferro quo radiat Regia dextera,
Si nunquam populi vena nefarij
Pandatur, proprio mox
Tabo, Regia corruet.
At vulnus pateat; nec Podalirij
Siſtant ut tenero flumina vinculo,
Mergentur cataclyſmo
Artus exitiabili.
Idem qui tumidam vulnere ſauciat,
Molli faſciolâ venam Epidaurius
Vincit, ſanguineæque
Plagæ dat medicamina.
Et vos eſſe decet, quos diademata
Ornant, Hippocrates, vulnera acinace
Exerto Themidis quæ
Infertis, medicâ manu,
Sed veſtrâ, ſtatui reddite priſtino.
Quid non Rex faceret, ſi placidiſſimus
Prorex BORGIA magnæ
Hoc fecit Gothalauniæ?

SANCTUS FRANCISCVS BORGIAS

Funus Jſabellæ Auguſtæ proſecutus, vitæ melioris igniculos concipit.

EPIGRAMMA.

BORGIA, dum felix Iſabellæ funera cernis,
Igniculos vitæ concipis inde novæ.
Nequaquam lethum cernis Franciſce, nefandum,
Non *Mors*, vera Tibi *Vita* Iſabella fuit.

ALIUD.

Mors Vita eſſe nequit, cùm ſit *Privatio vitæ*,
Eſt mihi Vita tamen Mors Iſabella tua.
Diſcite mortales, quid poſſit mortis imago,
Terrore ad vitam ſuſcitat illa ſuo.

ALIUD.

Sugunt nectareos Apes liquores
Caſſo flore, cadaverúmque cœno
Vitam concipiunt ſuäviorem:
Sic vitam è cinere, & liquente tabo
Suxit BORGIA melle dulciorem,
Non hic mellilega audiat Volucris?

ALIUD.

BORGIA dat vitam Tibi mortua fœmina: mirum!
Cùm det ſæpe viris fœmina viva necem.

SAN-

SANCTUS FRANCISCVS BORGIAS
Orationis & Pœnitentiæ in Imperio mirus Amator,

Eas Basim Consiliorum appellat.

ODE.

QUid curæ exagitant? venient ſua tempora curis,
Hæc vacat hora DEO.
Principis Officium eſt, pro Regnis flectere Numen
Et Cinere & precibus.
Imperium ſinè fine manet, cui fulcra miniſtrat,
Vis cumulata precum.
Fulmine quod ſolus moderatur Rector Olympi
Regia nulla ruet,
Cùm Princeps in carne tua delicta ſuorum
Expiat exanimis
Regia Jeſſiadæ ſtetit inconcuſſa quod inter
Crimina ſumma Ducis,
Pro fulcro cineres, & qui regalia texit
Corpora, ſaccus erat.
Numen ab Amaraidæ populo quod tela retraxit
Cauſa fuêre preces.
Nixa perennabunt his fulcris tempus in omne
Orbis & Imperia.

SAN-

SANCTUS FRANCISCVS BORGIAS
Parente & conjuge orbatus, ad Religionis portum ſe recipere ſtatuit.

ODE.

SÆpe gravem gemmis eviſcerat Inſtitor Alnum
Nè lugeat vitam, Rheam
In mare ſæpe jacit.
Pondere quam gravido merces preſsêre carinam,
Tandem ſolutis mercibus
Tuta ſecabit aquas.
In pelagus Libitina jacit, vacuátque phaſelum
Cum Patre Conjunx (BORGIA
Nè pereat) pereunt.
Figit ad optatum FRANCISCUS carbaſa portum
Solique ſolus Numini
Devovet ille ratem.

EPIGRAMMA.

BORGIA Patre ſimul, ſimul orbus conjuge luges?
O quæ infelicem Te tetigêre mala?
Verùm nè lugeto; Tibi hæc jactura ſaluti eſt,
Jî fato occumbunt: naſceris ipſe DEO.

SAN-

SANCTVS FRANCISCUS BORGIAS

Virtute ad ſui imitationem plures pellicit.

ODE.

ACcendere ignes mittite Martios
Sono tubarum; ſurda laceſſere
Nolite poſthac aſtra cantu,
Quotquot in arma viros cietis.
Vi pulchriori Borgiadûm jubar
Sufflammat ignes pectoris, arduæ
Virtutis exemplo intuentes
In ſua geſta trahit cohortes.
Strepunt inani claſſica murmure,
Nisi imperantûm clariùs intonet
Heroa virtus: principum acta
Calcar habent, acuúntque ſtrictos
Enſes in hoſtem Dardanidûm timor
Pugnante flammas concipit Hectore
Ardétque arena quando Achivos
Impavidi ſtimulant Achilles.
Per mille cœli fulmina, Nerei
Per æſtuantis pulchra pericula
Turmæ ſequuntur Cæſarem, atque
Cum Duce purpurei notari

Oſtro cruoris nobilis æſtimant
Auſûs trophæum. Sic lituo ampliùs
Magnos in auſus pectora urget
BORGIA, Tænarióque monſtro
Timenda geſtis conglobat agmina
Flos Celtiberi ſanguinis inclytum
Perſenſit exempli calorem
Incaluítque pares in actus
E Marchionum progenie ſatus,
Virtute major Cordubâ, præmia
Ridens Minervæ laureatæ, &
Purpurei titulum ſenatûs.
Gusmanus altæ culmen adoreæ
Pluréſque Lydæ cenſum opulentiæ
Tempſêre, cùm vulgata Iberis
Auſa Ducis ſonuêre terris.
Qualis metallum prævalido rapit
Vigore magnes; BORGIA (Gandiæ
Illuſtre lumen) talis urget
Ad ſua geſta imitanda mentes.

SAN-

SANCTUS
FRANCISCUS BORGIAS
Ob vitæ ſanctimoniam
Magnæ ſtirpis ſummum Decus.

GANDIÆ gentis columen, decúſque
Clarior magno Genitore gnatus
Tu novo ſummæ monumenta ſtirpis
Vincis honore.

Hactenus pulchris didicêre factis
Scandere excelſos apices honorum,
BORGIÆ, & famam decumis per orbem-
-Extendere geſtis.

Indè gemmatas poſuêre mitras,
Pérque Mauortis faciles arenam
Pro coronando petiêre dignam
Vertice laurum.

Si tuba hoſtiles manifeſtet auſus,
Oſſibus canos gradier per agros
Borgicis gratum eſt, titulóſque Pyrrhi
Morte paciſci.

Templa ſi forſan patuêre Jani,
Per lares ſacros, ſimul ac profanos
Conſilî novit volitare pennis
BORGICA fama.

Nil inacceſſum, pavet iſta virtus:
Plurimis ſacris rutilat tiaris,
Bis ſubit ſummum quoque Vaticani
Culmen honoris.

Majus in terris nequijt trophæum
Fama nanciſci; modò ſed BEATUS
Borgicum nomen, fugiens honoris
Inſeret aſtris.

Nè dein tanti ſoboles parentis
Expave famæ tenebras; Olympo
BORGIA inſertus vehit æviterni
Munera Solis.



S. FRANCISCVS BORGIA SOCIETATIS IESV
J. G. Dampervie ſculp.

HIC STETIT

FRANCISCVS

POST SUMMA,
GENUS, OPES, DIGNITATES,
METAM HABUIT
OMNIUM CONTEMPTUM.

PRINCIPI, REGIÆ,
CÆSAREÆ,

DOMUM PRÆTULIT RELIGIOSAM;

RELIGIOSUS

ANTE RELIGIONEM.
RECENS NATAM ELEGIT,
IPSE NOVO PARTU NATUS,
E CINERIBUS PHOENIX.

UNO PASSU
OMNIUM VIRTUTUM
GRADUS
TRANSCENDIT.

Rectè Philoſophi:

Corruptio unius Generatio eſt alterius:
Quando Corruptio Iſabellæ
Generatio eſt, & Nativitas BORGIÆ.
ô FRANCISCE!
Itáne etiam hîc vidiſſe, perîſſe eſt?
Ut nè formæ quidem cadaver contemplari liceat,
Quin eò ipſo ſis filius Mortis?
Sed ſortem tuam, Dux inclyte; nè accuſa:
Imperantem Regibus matrem nactus es
Tantum abeſt ut Generis claritatem
Novis Natalibus obſcurâris.
Corrupto ex ſanguine, quæ naſci poſſit utilitas?
Dudum quæſivit Pſalmicen.
Sic-genitus, reſpondes Quæſtioni:
Stupendam adeò Geneſim quia non ſomniavit antiquitas,
Idcirco eam Theogoniæ non attexuit:
Tunc tamen BORGIÆ proximè prælusum eſt,
Cùm Epirota GORGIAS in funere Matris
In vitam ederetur.
A morte Auguſtæ, ità vivebat Borgias, atque ſi carne & ſanguine non conſtaret,
Nimirum morte natus, documenta dabat, quâ eſſet origine.
Fortes creantur fortibus; Mortes mortibus.
Mors exanguis oſſium compages, ut Fratres numeret,
Nulli tamen Sanguine juncta dici poteſt.
Simillima Matri proles, conſanguineos neſciebat,
Serpente prudentior non tantùm veterem pellem poſuit,
Sed anguſtam aditurus portam, ſemet ipſum exuit.
Uſque adeò ſuperflua auferri oportuit,

Ut

Ut in eo arte fieret, & formaretur Chriſtus
Primogenitus Mortuorum.
Ità demùm in Ægyptium transformatus ſceletum, aptiſſimus,
Qui omnium gentium menſis inferatur.
Mors vitam, cùm non habet, dare non potuit:
Hinc vita prolis erat, mortificari totá die,
Imò cum Apoſtolo, quotidie mori.
Tunc tamen ſigna vitæ edidit
Cùm admotos capiti Galeros & infulas
Plenus ſpiritu
Ceu plumulam in auras difflaret.
Totus in ſpiritum tranſiviſſe videri poterat,
Nisì oſſibus cohæſiſſet,
Dixiſſes eſſe deſtitutum ſenſibus cadaver,
Adeò, quocunque velles, haud invitus ferebatur.
Quin ipſe ſeſe mortuorum numero accenſuit,
Cùm nollet ſui à Gandienſibus fieri mentionem,
Præterquàm cùm Sacer Myſtes pro defunctis ſupplicaret.
Bene habet!
Moriebatur cùm viveret,
Nunc Mortuus vivit
B E A T U S & S A N C T U S
In his
Secunda Mors non habet poteſtatem.

PRODIGIOSA
EX MORTE
NATIVITAS.



METAMORPHOSIS
Ex intuitu Cadaveris Augusti.

HEsperias iterum Regali funere turres
Augustásque Domos, humiles exosa tabernas,
Implêrat Libitina furens, feralia vibrans
Tela, per immeritum fatali vulnere pectus
Cæsareis erepta toris, ereptáque terris
Lusiadûm, Regina decus, clarissima formæ

Gloria,

Gloria, cui ſimilem nuſquam ſpectaverat orbis.
Quà dives diſperſus Iber, tumidúſque nitentes
Aurifluo fulgore Tagus devoluit arenas.
Hæc ubi ſupremas inter lugubria, pompas,
Funera, per longas, aulis comitantibus, oras,
Illiberim tumulanda ferunt, quà Regia mole
Æmula Memphiacis ſurgunt ſimulachra ſepulchris
Cæſareis exſtructa Dijs, atrata per orbem
Circumfuſa cohors, ſummum viſura potentis
Auguſtæ regale caput, retinacula clauſi
Sarcophagi ſuprema movet, totóque revelat,
Heu! nimiùm Heſperiæ lacrymanda cadavera, vultu.
Viderat: aſt ingens vultus, præſentiáque ora
Attonuit ſqualore ſtupor, ruit omnibus horror,
Spectantûm per corda virûm laxatus habenis.
Vix ita terrificis natura exterrita monſtris,
Quaſſatur graviore metu, trepidáque fatigant
Ad viſum portenta ſui formidine pectus.
Qualiter attonitos horror diverberat artus,
Suſpenſáſque rapit mentes, dum regia motis
Inconcluſa patent, urnis fatalibus ora;
Atque animis oculíſque ſimul ſpectantibus hærent.
Nempè ea, quæ rutilis nuper radiaverat aſtris
Æmula Ledææ renovans ſpectacula formæ
Oebaliúmque decus, cui ſumma cacumina frontis,
Cygnæus decorârat honos, currente per ora
Regaléſque genas rubicundo muricis oſtro,
Et Paphiæ fulgore roſæ; nunc horrida viſu
Agmina ſqualoris, diræque examina peſtis;
Informes jacuêre, genæ quas luridus atro
Fœdârat nigrore color, vaga purpura totis

Extur-

Exturbata labris, placido decor exulat ore,
Quæque priùs roſeo regalia lumina vultu,
Ut geminæ micuêre faces, ſinè luce, profunda
Terribiles habitare ſpecus, atque eminus indè
Per tetras ſqualere fores, ſaniéque fluentes
Proturbare imbres, quêis totus inhorruit oris
Malarúmque ſinus, mentóque acclivia colla.
Hæc ſuper arroſis tacitâ putredine membris,
Carnivori geſtire greges, jámque ardua frontis
Culmina, jam tumidas, terebrata foramina, nares
Reptitio peragrare gradu, ferríque furenti
Dente ſuper faciem, putridíque cadaveris eſcam.
Quà gravibus circùm confuſus odoribus aër
Auráque funereo volitabat adultera flatu.
Hæc inter tragicos dum ſpectat Borgia luctus
Suſpenſis horrore comis, geminata profundis
Vallibus attoniti ducens ſuſpiria cordis,
Sic animos agitante Deo, iſthæc mente volutat:
Ergóne tam fragili ſimulatus imagine mundus
Mortales oculorum acies, & lumina paſcit
Intuitu fallenda ſuo, ſic tranſit in auras,
Regalis vitæ ſpecies, formæque venuſtas,
Auguſtúſque decor? quantum heu! diſcedis ab illa
Heſperij Regina Soli, Pelagíque monarchis,
Cui roſeæ micuêre genæ, cui bina labella
Mellifluis animata favis, oculíque coruſco
Sidere, ceû rutili radiabant luce Pyropi.
Heu nimiùm humanæ levis inconſtantia formæ,
Quâ pollet mortale genus, tumidúmque triumphat!
Ah! video arenti, flammis populantibus, herbæ.
Par ſpecies humana perit, floríque caduco,

Qui

Qui Phæbo ſurgente vagas ſinuatur in auras
Multiplici fulgore micans, roſeóque ſuperbus
Attollit cervicem oſtro, ſed veſpere preſſam
Admordet periturus humum, totóque fatiſcit
Corpore, & Armenio moritur viduatus honore.
Tam fragilem quis pronus amet, ſapienſque requirat
Sollicito perituram animo? ah non iſta meretur
Tot mille humani ſuccenſos cordis amores.
Flammantéſque ignes, totus queîs æſtuat orbis,
Et domita ſinè mente furit: ſapientior ille
Stelligero quiſquis Numen Venerabile cælo,
Immortale decus, flammis melioribus ardet
Immenſus, cûi fulget honos, nullóque vetuſtas
Immutanda ævo, totus licet occidat orbis
Convulſúmque ruat reſoluto cardine cœlum:
Dixerat: atque omnes venerandum in Numen amores
Ire ſuos mandat; forti mortalia mente
Auſúque ingenti calcat, faſtidit honorum
Culmina, & aurati quidquid rutilantior æris
Oricus, aut liquidis generat Tagus aurifer undis.
Fortunate animi! quantùm tibi profuit altis
Inſpexiſſe oculis tragicæ ſpectacula mortis!
Non ità juviſſent hilaris ſpectacula vitæ.

Viso mortuo Isabellæ Corpore convertitur.

MORS mea, vita tua est, inquit, tumulata Virago,
BORGIA, ab hac semper vivere morte potes.

DE EODEM.

Nitrato accendit Germania pulvere Martem
A mortuali cinere FRANCISCUS calet.

DE EODEM.

Quid video? fœdum num texit forma cadaver?
Vilis sub pulchro murice, pulvis erat?
Ergóne sic mundus ludit? quid cætera velent
Immundum si adeò munda figura tegit?
Munde infide vale: sat sum tua castra secutus
Ad nova, quam video, bella, Isabella vocat.

Calvariæ Contemplator.

Est mortuale depile ac olens gravè
Divo quod assidet Caput, placet tamen,
Se, credo, *pictum* Borgia *ad vivum* videt.

ANTITHESIS.

Dici, fuisse pictus ad vivum nequit;
Est mortuale quidquid hoc spirat caput.
FRANCISCE *Morte* vivis ac vivis bene.

ANTITHESIS.

Quando Cadaveream scrutatur BORGIA caluam
Marcidáque exangui sublevàt ossa manu;
Vera est effigies FRANCISCI; hinc inquis in illa
Expressum ad vivum se putat, ídque placet.
Ad vivum Mortem non est constructio recta
Surge solæcismum Barbarophone facis.

S. BOR-

SANCTUS BORGIA
MORTE OBSTETRICANTE
FILIUS POSTHUMUS ISABELLÆ.



ELEGIA.

BORGIA! ſideribus ſidus ſuperaddite, ſit fas
Ex te pauca mihi quærere, pauca loqui.
Flos es, ſtelliparis, Majo menſe, inſitus hortis:
Quæ Chloris talem, quæ tulit Hybla roſam?
Gandia Celtarum genuit te gloria? natum
Materno excepit Téne Joanna ſinu?
Fallimur Illiberis genuit Te BORGIA, Mater
Non Joanna Tibi, verùm Jſabella fuit.

 Hanc

Hanc præmaturâ ſucciſam forfice Clothûs
  Dum gemis, Illiberim ſubſequeriſque Comes,
Recluſum mæſto plancturus carmine funus
  Dum ſpectas, lacrymis immaduêre genæ.
Diceris attonitus formæ ſtupuiſſe ruinam;
  Therſiten factam, quæ modò Cypris erat.
Eheu! quid monſtri! (clamabas) cernimus? ecquod
  Lernæis natum ſpecto cadaver aquis?
Lurida, ſqualida, terribilis, putris, horrida larva!
  Veſtibulo ex ipſo larva petita ſtygis!
Non eſt, (dicebas) Jſabella; ſed Atropon ipſam
  Ejus ſuppoſitam, ſuſpicor eſſe loco.
Quæ poteras Helenæ formâ certare, ſororem
  Prodigio vultûs, quæ ſuperare Jovis:
Poſt tot feſſa vias quam ſi vidiſſet Eleuſis,
  Dixiſſet natam ſe reperîſſe Deâ.
Quam lunam Endymion, Cyprin jurâſſet Adonis
  Hoc quòd tu loculo, ſis Jſabella putem?
Ah! non es! monſtrum video, nisì lumina fallunt
  Quam cerno larvam, nîl habet illa, tui.
Eſt tamen, eſt Jſabella; feræ id ferrúmque fatetur.
  Eſt Jſabella, eſt! eſt! ſe licèt uſque neget.
Deſinis in fœdum ſic ergo Jſabella cadaver!
  Quanta tuis ſubitò facta ruina genis:
Hos ergo ad ſcopulos Jſabellæ alliſa Venuſtas?
  Hac ergo in Cymba naufraga forma perit?
Hìc Jſabella jaces? quâ non formoſior ulla
  Per Grajas fuerat viſa puella plagas?
Portentum formæ, bellus decor ille figuræ
  Fugit, próque roſis pallor in ore ſedet.

Lumina

Lumina bina truci mors ſubruit impia telo,
Lumina Phoſphoreâ Lucidiora face!
Sidonio quondam nix miſta evanuit oſtro
Tam modò turpis; herî quàm ſpecioſa fuit.
Labrorum in prædam ceſſêre corallia, morti,
In tabum, crines, retia amoris, erunt.
Funeream cervicis ebur mors jecit in urnam
Preſſit & immiti candida colla manu.
Quid juvat Aſſyrijs maduiſſe liquoribus artus
Si Cinis, & (nares claude) mephitis erunt?
Quid ſerpentinos vertex cirratus in angues?
Fallaci toties forma probata vitro?
Impaſtis fiet, ſi Cæna petita colubris,
Ah! cave, jam dentes, vipera, blatta, parat;
Delicium nuper, nunc aulæ nauſea, toto
Exul cogetur Conjugis eſſe lare?
Immenſum leges, modò quæ mittebat in orbem,
Proh fatum! oſſicrepæ ſubdita paret heræ!
Occubuit Parcæ Regalis ariſta ſub ictu
Meſſa manu Lacheſis regia ſpica jacet!
Ut florum Regina novo roſa vere fatiſcit
Sic primo ætatis vere, Iſabella cadis.
Tu quoque florueras Iſabella! caducus at iſte
Flos erat! hanc Clotho meſſuit ungue roſam!
Nempè, nec ad Syrium mors pallida muricis oſtrum
Erubuit; colli nec venerata nives.
Nîl dentis reveretur ebur, nîl ſidera frontis,
Nîl vultûs Veneres, munera mille, preces.
Quâ Regum Cedros, illâ quoque falce myricas,
Quo lappas, illo demetit ungue, roſas.

Omnia mors niveis deridet dentibus. uno
Mixta jacent tumulo, Sarcula, ſceptra, ligo.
Quâ teſtam dextrâ, cryſtallum frangit eâdem
Oſſea mors: fato tollit utrúmque pari.
Therſitem æquat Hylæ, Narciſſum jungit Hemippo
Ruſtica, par Mopſo cogitur eſſe Paris.
Confudit cineres Iri Libitina Mydæis:
Quæremus: cinis hic Cæſaris, ánne Codrí eſt?
Deucalioneâ prognati ſtirpe putamur
Aut è Marpeſi rupe reſectus apex:
Cùm non è ferro, Duróve Prometheus ære,
E fluxo ſed nos finxerit ille luto.
Frangimur: aut inſtar tacitæ dilabimur undæ;
Vita equitat Zephyris, antevolátque Notos.
Nè nimiùm Narciſſe tuo confide colori,
Caſtore ſis quamvis pulchrior, horror eris.
E vultu Veneres Libitina fugabit, Hemippo
Turpior, in putrem proijciêre ſcrobem.
Quid facimus Franciſce? paras naulúmne Charonti?
Parca manu telum (collige vaſa) vibrat!
Non fugies? fugias quamvis Garamantas ad ipſos
Quidquid agas, duræ victima mortis eris.
Defluet in fœdum, tam bella figura, cadaver,
Delicium fueras, qui modò terror eris.
Seriùs aut citiùs Rhadamanti immite tribunal
Franciſcum ad ſtygias coget adeſſe fores.
Ibimus, exilis fors reſtat arena, teremus
Quam trivêre omnes, cras, hodiéve viam!
Fallaces an adhuc umbras venabor honoris?
Mixtáque Circæo pocula melle bibam?

Pro-

Protheus eſt mundus, formas variatur in omnes,
Tótq; gerit, quot vix Roſcius, ora tulit.
Blandulus ambroſios propinat nectaris amnes
Colchica vipereo, ſed latet herba ſcypho.
Promittit vanas tibi tortor amabilis umbras,
Tu procul eſſe animi blanda venena jube.
In ſcythicum ablego ſirenem protinus antrum,
Vltra Thermopilas Caucaſeáſque ſpecus.
Ergo voluptates, molléſque valete ſabæi,
Forma vale Cyprijs conciliata dolis.
Pancheâ valeant ſtillantes arbore gemmæ
Blattarum prædam non decet iſte liquor!
Eſte procul Syriæ ſudantes balſama menſæ
Molliat Aſsyrio corpus odore Nero.
Nec poſthac Phrygijs habitabo innixa columnis
Tecta, aut erectas Jonis arte Domos.
Lojolæa mihi turritis præplacet ædes
Molibus, ô votis mille petita Domus!
Ergo Iſabella vale, vitæ melioris origo,
Poſthuma quod proles dat, cape mater ave.
Nuper heram flexo venerabar poplite; parce
Quod matrem dicam: *Mors tua Vita mea eſt.*

SANCTUS FRANCISCUS BORGIAS

Viſo Jsabellæ Cadavere ad meliora convertitur.

ERgóne Cæſareis mors invidioſa coronis,
  Auſa eſt auguſtum cæca ferire caput?
Hæc illa Heſperijs formoſa Iſabella theatris,
  Cui nullam tellus vidit Ibera parem;
Hæc illa eſt Iſabella; mori quis poſſe putâſſet,
  In qua, quidquid erat cernere, vita fuit.
Sed quid dico? Iſabella hæc eſt? nec credere poſſum
  Talis viſa mihi nunquam Iſabella fuit.
Hæc non eſt Iſabella; oculis hoc credere poſſum,
  Hi nôrunt vultus, quos Iſabella tulit.
Me priûs eſſe Ducem, Carolíque negabo Nepotem,
  Quàm dicam, Caroli hæc: eſt Iſabella mei.
Teſtibus, hæc non eſt Iſabella, fidelibus utor,
  His oculis teſtis certior eſſe nequit.
Non eſt: nec præſens adſit ſi Carolus ipſe
  Hanc Iſabellam dixerit eſſe ſuam.
Vidi ego Dux quoties Iſabellam, Iſabella fuiſſe
  Eſt eadem toties viſa Iſab ella mihi.
Eſt tamen hæc Iſabella; heu! quid non invida, quid non
  Impatiens hominem vivere parca poteſt?
Hæc illa eſt Iſabella: hæc eſt quam mundus uterque
  Hæc eſt, Heſperiæ quam ſtupuêre plagæ.

Spar-

Spartanis Helene fuerit pulcherrima Nymphis
Pallas formosas vicerit ipsa Deas.
Pallada formosam victura Isabella fuisset,
Tantum præ reliquis pulchra Jsabella fuit.
Ipsa semiramidem taceat Babylonia pulchram,
Pulchra semiramidi par Isabella fuit.
Pulchra Isabella fuit! sed proh! quàm turpis ab illa
Nuper quæ Hesperijs visa nitere plagis.
O mors! mors nimiùm fera! mors crudelis, & audax
Ausa in cæsareis ludere falce genis.
Quàm nuper formosa, hodie tam turpis; abivit
Omnis quem Chloris pinxerat, ore decor.
Lumina sidereos non pridem imitata pyropos,
Tabescunt quovis putidiora luto.
Ambrosios nuper facies quæ sparsit odores
Istâ nîl hodie fœdiùs orbis habet.
Et labra, quæ rosei nuper pinxêre colores
Pallente hæc pinxit trux Libitina manu.
Ergo quid totos mundo consumimus annos?
Víxque Deo vitæ pars manet una super?
Emorimur: tetro tumuli concludimur antro,
Æternas petimus dispare sorte Domos
Nobiscum tituli tumulo tumulantur eodem,
Rex es? cras nullus, si moriaris, eris,
Æquâ falce metit Reges Libitina, Ducesque
Non est, qui possit dicere non moriar.
Dux hodie sum, cras mortis comes esse jubebor
Et Lethi dubiam cogar inire viam.
Regia sceptra nihil, Libitina, nihilque coronas
Nec timet augustos cæca subire lares.

Cæſareis de verticibus diademata tollit,
Eripit & magnis ſceptra ſuperba viris.
Sis oculis pulcher, ſis ore, geníſque decorus,
Cæca eſt, non oculos, non videt illa genas:
Stas hodie celſus ſolio? cras fortè jacebis:
Regnas? cras forſan mors tibi jura dabit.
Cæſar es? & vitæ mors eſt Regina: movebit
De ſolio Cæſar, ſi Libitina volet.
Nec tituli, nec opes proſunt, nec ſceptra, nec aulæ
Ex aula invitos nos Libitina rapit.
Sed me non rapiet: cedam de Cæſaris aula,
Quóſve colam poſthac dux, agitabo, lares;
Vivit in incertum, Regum qui vivit in aulis;
Eſt ſecura, Deo vivere, ſola ſalus.
Tempore, nobilitas & opes, & regna reguntur,
Fortunæque levi ſtant malè nixa rotæ.
Aurea tam ſolido ſtat mundi gratia fulcro,
Præceps quàm fragili nititur unda pede.
Ergo munde vale: diademata, ſceptra, valete,
Et tu pars animi Carole Quinte mei.
Cœleſti me Iſabella monet ſervire Monarchæ,
Et ſuadet Chriſti ſubdere colla jugo:
Jam ſatìs auguſtæ Caroli ſervivimus aulæ;
Æterno poſthac dux famulabor Hero.
Aula vale; auguſtis excedo BORGIA tectis,
Sanctà morte Duces non ſinit aula mori.
Una mihi ſervire Deo ſit cura deinceps,
Mortua perſuaſit ſic Iſabella mihi.

EPI-

I.

U*Nius genesis, corruptio* dicitur esse
Alterius: perit hæc: nascitur ille, polo.

II.

Imago mortis BORGIÆ, *sacras faces*
Adhibet, & *animat igne Divino* virum.
Stupete *mortem*, jam *novum Prometheum!*

III.

FRANCISCUM cœlo turpis *calvaria* gignit.
Mira parens! vitam, quâ caret ipsa, dedit.

IV.

Non te *progeniem* dicemus *Deucalionis*;
At Cujus? *vitam* cui modò *Larva dedit*?

V.

Jam *mors* dat *vitam*: seri gaudete nepotes!
Si *mors* dat *vitam*, *non morietur homo.*

VI.

Sarcophago Carolus dum credit Conjugis *ossa*
Mortua progeniem protinus *ossa* ferunt.
Nam *surgit tumulo* generosa *propago*, draconi
Horrida quæ stygio bella movere parat.
Sæcula nnnc iterum *Cadmæa* redire videntur;
Nam gignunt *fortes ossa sepulta* viros.

VII.

Mortua quis dicat *defuncti Corporis ossa*,
Viventes cœlo quæ *peperêre viros.*

VIII.

Mortua cœlestem conservant *ossa vigorem.*
Indigetem quando *progenerare* valent.

 IX. Ex

IX.

Ex *Flamma Phœnix* redivivus prodit: at ecce!
Franciſcum Cœlo (res nova) *larva* parit.

X.

Peſsima res naſci eſt edixerat ore Silenus
More tuo naſci, BORGIA, dico: *bonum eſt*.

XI.

Potens venenum eſt *faſcini*: pulli cadunt,
Cadúntque teneræ, quas gemit Paſtor, capræ.
Sed plus veneni *faſcino larvæ ſubeſt*;
Nam *faſcinavit* Gandiæ *tantum Ducem*.
Erro: veneno *faſcinus larvæ caret*:
Nam *ſic perire, non perire, vivere eſt*.

XII.

Profundunt lacrymas Indi, dum *naſcitur* infans:
Rident, dum *vitæ* lugubre *finit iter*.
Dum *meliore modo* Franciſcus *naſcitur*; aſtra,
Relligio *gaudent*; *flet* Tagus & *flet* Iber.

XIII.

Vidit ut auguſtæ tam *bellæ* turpe cadaver,
Et ſimul auguſti ſidera bella poli,
Fallimur! exclamat Franciſcus, ab orbe doloſo,
Et miſeri cæcâ ludimur Antiphraſi.
Bella per Antiphraſin fuit *Iſabella*, vocaris
Tu quoque ſic mundus munde per Antiphraſin.
Ergo ut ſim bellus, ſalvete ô ſidera *bella*,
Immundus nè ſim, munde doloſe vale.

ISABELLA PHOENIX.

Dux cujus fueras *vivæ*, Tibi BORGIA nunc eſt
Dux tua ad æthereas *functa* Jſabella plagas;
Ergóne mors etiam putri de funere vitam
Excitat? at Phœnix credo Iſabella fuit.

Spre-

SPRETA MUNDI POMPA
D. IGNATIO SE SUBDIT.



ODE.

HUcuſque claro ſanguine muricis
Et faſtuoſæ ſidere purpuræ
Risêre veſtes, verticémque
Arſacidûm pretio ducalis
Preſſit tiaras: in gemina manu
Fulsêre cœlis æmula lumina
Effulgurantûm flammæ Achatum
Memnonijque jubar pyropi.

Me

Me concitatis paſſibus ardua
Sublimis ultra culmina gloriæ
Fortuna vexit, Gothalauni
BORGIADÆ timuêre faſces.
Sic vixi: honori plurima Caroli
Decurrit ætas. Præcipites modò
Calles profanæ temnere aulæ,
Gandiaci trabeas Dynaſtæ,
Ducúmque mitras intrepidis juvat
Calcare plantis. Tædet honoribus
Non retrahendas mancipare
Et volucres vigilare lunas.
Sat vanitatum obſequíjs datum
Nunc pulchrioris meſſis adoreæ
Vocat volentem: glorioſas
Gloria ſpreta dabit coronas;
Subjecta plantis purpura verticem
Solaris ultra ſideris orbitam,
Quò nulla, fatorum inquieta
Aſperitas penetret, levabit.
Vitæ quietem, quam negat aulicis
Freti tumultus, Jeſuadûm Pater
Lojola pandet, cùm Sacratâ
Anchora fixa quieſcet æde.

Ducatum deſerit.

Filius IGNATÎ vixit FRANCISCUS; in illo
Hinc bene Virtutis forma paterna nitet.
Contemptum mundi traxit pro ſanguine, erátque
Famoſas ceras ſpernere, Nobilitas.

Omnia

Omnia Patris habet LOIOLÆ, BORGIA: ſordet
Terra illi: ſed huic ſidera ſola placent.
Hæredem Ignatius Franciſcum ex aſſe reliquit
Quando Ducem docuit prorſus habere nihil.

De eodem.

Hæc propè terrigenûm fixa eſt ſententia menti,
Præ Comitum optandum Principis eſſe decus.
Aſt hodie mundi correxit Borgia ſenſum,
Præ Duce dum IESU, maluit eſſe Comes.

De eodem.

Ordo tuus magnus Franciſce eſt; aſt fugis illum:
Majores alios tres petis: inde fuga eſt.

De eodem.

Purpureos virtus Franciſci temnit honores,
Hæc Cardinalis quinta num virtus fuit?

SOCIETATI IESU DAT NOMEN.

EPIGRAMMATA.

BORGIA, non dicam, quòd ſis *Contemptor honorum*
Dum *temnis*, *major* te comitatur *honor*.

ALIUD.

1. Nuper erat Princeps: ſocius nunc factus IESU eſt:
Ergo majores quæſierat titulos.

ALIUD.

2. Quod Franciſce tibi, temnatur Purpura; novi;
Ex *larva* natus, quid niſi nigra petas?

ALIUD.

3\. Nè procul à proprio diſcedat ſtipite fructus
Maternæ ſimilis, pulla nigredo placet.

ALIUD.

4\. Defunctos vitâ nigro dignamur amictu
Mortuus es terris, hinc tibi nigra placent.

ALIUD.

5\. Tranſactam in mundo vitam Franciſce gemebas,
Aſſumendus erat Luctifer ergo color.

ALIUD.

6\. Ignatio cœcas mens eſt adducere Cœlo
E tenebris animas, indiget ergo Duce.

ALIUD.

Dux cruce non caruit, ſed crux fuit ultima. Quærit
Dux *aſpiratam* nocte diéque *crucem.*
Quæſijt invenit, dulci cum nomine, I E S V,
Induit ergo crucem, depoſuítque Ducem.
Aſpirata fuit Crux vita, crucíſque trophæa,
Suſpirata tulit nomen & omen habens.
Audijt hæc Clemens (X.) numero *cruciatus* amato
Crux veneranda (X.) *cruci*, Borgia dixit, eris.
X gero; ſum Decimus, Duplicis ſum literæ imago
Tau nempe ac *ſigma*, Borgia *ſigma* feres.
Tau tibi vita fuit, crucis hoc fert Symbola utrúmque
(X.) Crux dabit una tibi, BORGIA SANCTUS eris.

SAN-

SANCTI FRANCISCI BORGIÆ REJECTIS OPIBUS PAUPERTAS.



ODE.

O Borgiorum gloria Principum!
O Lux Iberæ gloria Gandiæ!
O geſtientis gratioſa
Heſperiæ Cynoſura ſalve!
Franciſce magni Numinis Aſſecla
Matura cœli victima Principi
Quem glorioſum, quem beatum
Terrigenæ venerantur omnes.

O quis choraules vel cithariſtria
Te reſpuentem culmina gloriæ,
Superba ſpernentémque ſceptra
Quis poterit celebrare digno

Vates cothurno? quis tua nomina
Franciſce cantet? qui juga Delphica
Colis, Camænarúmque ſacrum
Imperijs Helicona frænas.

Expergefactis concine barbitis
Apollo Præſes, dulce ſtrepentia
Saltent manu obſecuta fila,
Et ſtrepitus reſonent triumphum.

Jo! triumphet Borgia, Gandiæ
Dux glorioſus, Lombaïæ Decus
Franciſcus io! ter triumphet
Heſperiæ Moderator Aulæ!

Aurata riſit ſceptra Quiritium,
Riſitque mundum pauperie ſuâ
Faſtidioſum, purpurámque
Puniceo viduavit oſtro:

Superba ſprevit Dux diademata
Sprevítque felix irradiantium,
Nexus coronarum; ſuámque
Et rutilo ſpoliavit auro

Frontem ducalem. Sprevit adoreas,
Decúſque dextræ nobile, veſtium
Luxum refulgentem ad diei
Invidiam, opprobriúmque ſolis.

Auguſta

Augusta Regum culmina respuit,
Latere princeps in tenui loco
Volebat, ac Ignatianas
Dux humiles habitare sedes.

O Te beatum! Te Babylonijs
Beatiorem divitijs Midæ
Francisce, te claro Lucullo
Térque quatérque beatiorem!

SANCTI
FRANCISCI BORGIÆ OBEDIENTIA PROMPTA.



EPIGRAMMA.

TAnge parùm ſphæram, partem volvetur in omnem,
Nec nisì præfixo ſiſtet anhela loco.
In metam, motu quocúnque propelle, ſequetur,
Et quodcunque voles ire, tenebit iter.
Heſperias etiam, ſi vis, vertetur ad oras,
Mergenda in medio, ſit licèt uſque ſalo.
Aut iter Eoum, ſi vis, reflectet in orbem,
Stabit & imperijs obſequioſa tuis.

Sed

Sed procul hinc agilis cedant veſtigia ſphæræ,
Quæ niſi mota, ſuum currere ſuevit iter.
Borgia, ut occiduos ab Iberis migret ad Indos,
Ignotæque petat barbara regna plagæ;
Vel ſolo ſatis eſt nutu monuiſſe; migrabit,
Nec quæret, nisi quà juſſeris, urbe locum.
O! quantùm ſphærâ eſt Franciſcus promptior ipsâ!
Hæc motus; *nutus ille* ſecutus erat.

ALIUD.

Quò currat, ſi quæ prohibent obſtacula, ſphæra?
Hærebit, ſi quæ vis vetat ire loco.
Imperium, Franciſce, tamen volveris in omne,
Vel mortes obſtent, obſequioſus eris.

ALIUD.

Si vera vates priſcus: imperijs bene
Parêre, parere eſt, dixit, imperium ſibi
Franciſce, fies Imperator: Taliter
Parêre ſatagens, quod tibi regnum paras?

ALIUD

Ceû, globus in partes Franciſcus volvitur omnes
Dum vel Majorum nutus abire jubet.
Admixtum nihil è terra Franciſcus habebat,
Quid mirum facili quòd pede carpat iter!

ALIUD.

Perfectam ſphæræ veteres dixêre figuram,
Fors quia tam velox currit in omne ſolum.
Hoc quid ineſt ſphæræ velox Franciſcus habebat,
Ergo perfectum quis neget eſſe virum?

ALIUD.

Stat globus immotus terræ, cùm Borgia ſemper
In motu; Terræ non fuit ille globus.

ALIUD

ALIUD.

Ludit in humanis divina potentia rebus,
Promptiùs ut ludat, fit globus ipſe Deo.

ALIUD.

Fortè globo Divinus amor ſuperaddidit alas,
Hinc ſuperat Zephyros, antevolátque Notos

ALIUD.

Majorum nutus ceû ſacra oracula captat,
Et putat æthereo verba relata polo.
Num Paradiſiacus falſum prædixerat anguis,
Diîs ſimiles eritis quando locutus erat?

ALIUD.

Unde Tibi tanti plauſus, tantique triumphi?
Parendi ſtudium, tanta trophæa parit.
Concinet ipſe ſibi laudes, lætúmque triumphum,
Quiſquis Majorum juſſa tenere cupit.

SAN-

SANCTI FRANCISCI BORGIÆ ANIMI DEMISSIO.



Humilitatis Doctor abjectissima in Societate obit munia.

EPIGRAMMA.

QUi varios jussit titulos contemnere mundi,
Francisci fibras urget adusque calor.
Dux rexit; servus gaudet nunc esse coquinæ,
Quæ fasces gessit dextera, fert tripodem:
Nec mirum: gnati quærunt insignia Patrum,
Franciscus *tripodes*, *signa* Parentis amat.

A.henum S. Patris Ignatij insigne.

ALIUD.

ALIUD.

Vix vanam agnovit funebri è pulvere formam,
Sordet ei, à ſæclis nobile ſtemma Ducum.
Quo ruit? eximijs præponit parva, cupitque
Officium gaudens vilis obire coqui?
Sed cauſam ſcio: ſub fumis & nube latentem
Virtutem ad cœlum poſcit abire ſuam.

ALIUD.

Ad flammas habitare flagrat, ſervire Coquinæ;
A flamma ut ſuperas diſcat adire Domos.

ALIUD.

Ductor Ibere, coquo promptus famularis ad ignem;
Aurum es: per flammas purior eſſe cupis.

ALIUD

Hactenus in ſuperûm ſi fortè refrixit amore,
Jam petit accendi: gaudet adeſſe focis.

ALIUD.

A porta claves bene fers Franciſce: probato
Exemplo reſeras pluribus aſtra tuo.

GENERALIS.
Ad Sociorum pedes ſe proſternit.

EPIGRAMMA.

Quemcunque adſcribit numero Loyola ſuorum;
Prima eſt, quam tradit, maxima: *pone Caput*.
Franciſcum poſuiſſe illud, non ambige, lector:
Ordinis ipſe *Caput* nam jacet ante pedes.

ALI-

ALIUD.

Quêis cœlum penetret, quærit veſtigia ; & indè
Lambit cœligrados ore ſagace pedes.

ALIUD.

Quò Franciſce ruis ? pedibúſne ſubeſſe laboras,
Quando ſuum ſocij te *Caput* eſſe volunt?
Laudatos quotquot ritus Eccleſia ſervat,
Hos gaudet factis ipſe referre ſuis.
Hinc *Caput* effectus pedibus ſubſternitur; orbis
Namque pedi * Europæ, novit adeſſe *Caput.*

* Pes Europæ Italia, in qua Papa.

ALIUD.

Ignoſci culpis poſcit, lacrymiſque perorans
Errorum veniam ſupplice voce petit.
At nihil ipſe erroris habet, culpæve ; ſed *erro*:
Grandis, quando reum ſe putat, *error* erat.
Nî talem *errorem* patrâſſet Borgia, nullus,
Cujus tunc veniam poſceret, *error* erat.

SANCTI FRANCISCI BORGIÆ MORTIFICATIO.



ODE HORATIANA.

VAlete frondes, quas Arabum manus,
Cilix odoris quas rigat imbribus:
Valete amoma, balſamúſque
Culta Semiramijs in hortis.
Fædam Ciliſſæ pignora balſami
Spirant mephitim. Cinnama balſamus
Odore vincit Borgiana
Elyſijs ſata nuper hortis.

Seu

Seù purpuraret tergora verbere,
Artúſve multo vulnere pingeret;
Inciſa flagris ſeù ruberet
Innocuo cutis à cruore.

Afflabat auras Borgia odoribus,
Syræ obſtupeſcat quos odor arboris,
Et prodigæ menſæ Neronis,
Aſſyrio licèt imbre manent,

Totóque odores flumine prodigant
Mœotis, imbres ſunt amaranthini,
(Vos Cœlites teſtor cohortes)
Et ſtygio magè fæda Averno.

Pluſquàm Sabææ ſtirpis odoribus,
Riga Clientes, Borgia, quot flagris
Inciſa crebris terga ſtillant
Aſsyrijs magè odora plantis.

SANCTUS FRANCISCUS BORGIAS
Dum ad fores Collegij nocte concubiâ aditum præſtolatur, nivibus tantùm non opprimitur.

NOn ſemper piceæ glomerantur in aëre nubes,
Aut nupto rapiunt ſidera ſole diem.
Plejadibus pulſis redit ore ſerenior æther,
In lætum alternis ſolvitur aura jocum.

 Non

Non ſemper trifidos jaculatur Jupiter ignes
Inque Giganteum tela triſulca genus.
Otia Pallas amat: feſſæ venando Dianæ
Nè crepet, alternis otia nervus agit.
Curarum fallunt lætis Diî jurgia ludis,
Sive trocho placeat ludere, ſive pilâ.
Delicium Boreæ, Floræ modò gloria, ludi
Teſtis Apollinei flos Hyacinthe jaces.
Fortunate puer! Ganymede beatior ipſo;
Rivalis Boreæ nî nocuiſſet Amor.
Fortunate magis, ſed Borgia, vive! voluptas
Et ludus magni Borgia vive DEI!
Delicium fueras ſuperûm; colluſit amanti
Numen; dum palmam victor uterque tulit.
Tempus erat Brumæ: Borealibus aſpera nimbis
Aura pruinoſo ſtrinxerat arua gelu.
Venatu è ſacro notam remeabat in urbem
Franciſcus, Phœbo præcipitante diem.
Creſcebant umbræ: noctis jam prodromus ignes
Extulit, Heſperias ſol repetebat aquas.
Jámque propinquabat properatis greſſibus urbi,
Jam ſacras fratrum ſubſtitit ante fores.
Ergo æris pulſu pandi petit oſtia; nullus
Pandere qui poſſet viſus adeſſe, fores:
Ingeminat: crebris reſonat tinnitibus ædes:
Qui reſeret poſtes nec tamen ullus adeſt.
Interea gelido caneſcit vellere tellus,
Exonerant denſis imbribus aſtra nivem.
Terra pruinoſâ veſtitur cyclade, Cygnus
Borgia fit ſubitò qui modò Corvus erat.

Lana-

Lanarum niveis ſepelitur terra pruinis
Inter & ille nives ſemiſepultus erat.
Quid faceret? gelidus torpebat frigore ſanguis,
Artus Riphæo diriguêre gelu.
Nec tamen excutitur ſomno cùi janua curæ
Prima virum, nam tunc preſſit & alta quies.
Jam medium tacitæ moderatrix Cynthia noctis
Tacta dolore viri deproperârat iter.
In ſtatione tamen perdurat Borgia, vultu
Quo fueras inter Sardanapale roſas.
Phoſphorus Eois cùm tandem proſpicit undis.
Vicinúmque orbi nunciat eſſe diem:
Diffugiunt ſtellæ; roſeo Pallantis amictu
Promicat, optatum ſole vehente jubar:
Panduntur poſtes reſerante repagula Jano,
Ore cui blando Borgia: Frater, Ave.
Obſtupuit Cuſtos trifido velut ictus ab igne,
Et propè recluſas labitur ante fores.
Demum, quàm niveam ratus eſt ſe cernere molem
Franciſcum excuſsâ cernit adeſſe nive.
Ingemit; è genibus culpæ veniámque precatus
Se tanti clamat criminis eſſe reum!
Erectum, placido rurſum Pater ore ſalutat,
Et, nullius ait criminis eſſe reum.
Parce metu Frater; vultúmque animúmque ſerena
Protinus, excubijs nil moveare meis.
Delicias inter nox hæc mihi ducta jocóſque
Riphæo rigeant frigore membra licèt.
Cùm jaceret cœlum gláciatæ vellera lymphæ,
Concreto opprimeret méque pruina gelu:

Crede-

Credebam Numen, cœlo ſpectante, jocari,
Me niveis rebar quòd peterétque pilis.
Si quando gravior feriebat grando triumphos
Ac plauſus, meritò mille trophæa, dabam.
O quoties repeti glaciatum grandinis imbrem
Optabámque mori fato Hyacinthe tuo!
O! colludentis melliti Numinis ictus!
Hoc vitam luſu perdere, grande lucrum eſt.

Mirè corpus affligit flagris & jejunijs.

EPIGRAMMATA.

LOricâ forti Neo-miles fortè carebat:
Hanc ſupra dorſum fabricat ille flagris.

ALIUD.

Sanguineos ducit ſulcos per terga flagellis,
Candida plantabit lilia Dius Amor.

DE EODEM.

Quales ex flagris fructus, Franciſce, moraris
Corruptus profert ulcera fœda cruor.

ALIUD.

Alga roſas non fert, nec quercus ſudat amomum,
Et Tibi quos fructus ferre flagella putas?
Nil aliud quàm ſæva flagris conjuncta flagella;
Hinc nova perpetuò tergore flagra metes.

ALIUD.

Pœſtanos videor campos, Charitúmque roſeta,
Cernere, dum roſeo terga cruore madent:
Fit roſa, quod tenero calcat Cythereïa calce?
Quin roſa fit potiùs, quod ferit Iſte flagris.

ALIUD

ALIUD.

Suavis odor Christi fueras, Francisce, paràsti
In dorso quando culta roseta tuo.

ALIUD.

Sponte veni! niveis jam candent lilia bullis,
(Vox fuerat sponsæ) lilia carpe manu.
Borgia sic pariter: rubuerunt tergore flores:
Adsis! Puniceas collige, Amate, rosas.

ALIUD.

Gemmiparum, Francisce geris post verbera dorsum:
Nam quoties *cadit hinc guttula, gemma cadit.*

ALIUD.

O! Cardinales, *Purpuram*, pulchrum decus,
Accommodatis Borgiæ tardè nimis.
Jam *purpuratus* factus est pridem: flagris
Quando cruentam texuit dorso togam.

ALIUD.

Non opus est nigros pro gemmis currere ad Jndos;
Francisco crescit plurima gemma domi.

ALIUD.

Postrema *Ægypti*, binas *Regina* ferebat
Gemmas; complures Borgia egenus habet.

ALIUD.

Æthereis se se mensis jejunus adaptat:
Sola fames Cœli scit satiare famem.

DE EODEM.

Jejunat, flagrísque frequens desævit in artus;
Hinc propè nec veteri in corpore corpus habet:
Extenuat se se; cœlos penetrare laborat;
Angustam novit ducere ad astra viam.

DE EODEM.

Mundus dum pellem mirè priùs implet & inflat,
  Efficit, ut plures expetat eſſe cibos.
Virtutum cùm fortè fames exhauſerit artus
  Virtutum poſthac *Helluo* quantus erit?

ALIUD.

Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus,
  Forſitan expertus docte Poëta canis.
Amodo mirari Franciſcum deſino; flagris
  Pluribus intentus ſentit & ille minùs.

ORATIO
S. FRANCISCI BORGIÆ
PENETRANS COELOS.



ODE.

NUper ad portas residere cœli
Visus, & multis gravidam sagittis
Ferre protensis manibus pharetram
Astra petebam.

Cor mihi fortis fuit instar arcûs
Vota flammatæ fuerant sagittæ.

Torſit ignito pia Dextra jactu
Pectoris ignes.
Thura, quæ magnus Macedo ferebat,
Et pijs aris poſuit cremanda,
Hæc Jovis ſummo ſacra juſſit eſſe
Æſtus amoris.
Eſto ſint cœlis ſilices, & ipſum
Oſtium Sullæ, Lapithæque diri
Enſibus cingant, penetrant ſagittæ, &
Flammea tela.
Nolit & Numen reſerare Olympum,
Fulminis jactet tonitru triſulci,
Borgiæ Caſtus penetrat Cupido
Perforat aſtra.
Hæc volat donec pietas potentis
Aere ſubducat jaculum furoris,
Cùm ream ſe ſe ſtygis eſſe credat
Fit rea cœli.
Igneo greſſu polus hìc ſubitur,
Hoſpites gaudens recipit favillas,
Inter ardores amat interire,
Non timet ignes.

DEO in ſolitudine conjunctior.

FRANCISCE, ſplendor Gandiæ
Lucem peroſus Aulæ,
DEO vacare fervidus,
Cæcas petit latebras.

Hic

Hic Memphidos trans culmina
Ultráque clivum Olympi
Te cordis æstus erigit
Et eripit perîclis.
Non inquietis Adria
Cor fluctibus fatigat,
Nec proterit spem subdolo
Fortuna fluxa cursu.
Quos vexat Eurus flatibus
Etesiæque lambunt;
Rides latebris abditus,
Solo Tonante fretus
Hunc expetunt suspiria,
Hunc mille vota poscunt,
Interque amoris spicula
Hûic sacra lustra currunt,
Seû nocte Cynthia excubet,
Seû Sol pererret axem,
Solus adamati Numinis
Fibras adurit ardor.
Parvum diei tempus est,
Angusta noctis umbra,
Orando quamcunq; exigis,
Quam pensitas precando.
Sic vanitatis gaudia
Cùm fluxa comperîsti,
Amoris actus impetu
In astra transijsti.

Inter orandum lacrymatur.

EPIGRAMMA.

ORdo JESUADÛM ſi bellè dicitur hortus
Qui regit, illius BORGIA cultor erit.
Hortus ut hic vireat, fructúſque ut proferat, inquit,
BORGIA, eum lacrymis ſæpe RIGABO meis.

Per plures horas ſtratus humi in oratione perſiſtit.

STratus humi eſt: durus *lectus*! ſed mollior olim.
Propitio *electis* Numine *Lectus* erit.

SANCTUS FRANCISCUS BORGIA HELIOTROPIUM SYMPATHICUM CUM SOLE EUCHARISTICO.



EPIGRAMMATA.

Umbrifero lateas tectus velamine, Phœbe:
  At non ſolſequium, Phœbe, latere potes.
Triticeo ſub farre nequis Te condere Numen,
  Franciſcus quin ſub farre latere ſciat.
A noſtro rapiant Titanem nubila vultu,
  Hic flos te Phœbum ſentit; at ille DEUM.

Phœ-

Phœbus an Heſperijs, an Eois fulgeat oris,
Hic Tibi flos index indubitatus erit.
Occultos Numen radios ubi condat in ara,
Index Franciſci pectus amoris erit.
Exerit Eoo dum Phœbus ab æquore vultum,
Huîc flos demiſſo vertice, dicit, Ave!
Sic ubi depulſis ſe Phoſphorus erigit aſtris,
Mox quoque Franciſci Numen adorat amor.
Vivit ad aſpectum Solis ſub nube latentis,
Aſtrorum & ſequitur floſculus ille Ducem.
Numinis ad nutus vivit ſub pane latentis
Franciſcus, quis eum *ſolſequium* eſſe neget?

ALIUD.

Nec tu *Phœbe, Diem revehis;* cùm *fercula cœli*
Guſtet: *jejunus* Borgia *quando manet?*

ALIUD.

Ante alios ſurgit, ſacram visitque ſynaxin:
Delicijs cœli veſcitur ante diem.

ALIUD.

Nil toties volvis, niveam, quàm mente Synaxin;
Hæc eſt *Theſaurus*, Borgia, *corque* Tuum.

Ardens Ejus ad S S. Euchariſtiam deſiderium.

EPIGRAMMA.

Conſcia ſiderei virtus eſt ſanguinis; imam
Alta patens, pennâ præpete linquit humum;
Aſtrorúmque ſoror non inter ſerpere valles,
Aut cœco didicit delituiſſe ſpecu:

Avia

Avía ſidereum caput inter nubila condit,
Aëriumque alâ remige tranat iter:
Non aliter, quàm ſumma Jovis petit atria præpes
Phœbææ *volucris* proximiora faci.
Seû Jovis aſſurgat, ſeû magni Cæſaris aris,
Hîc quoque dimidium cum Jove Cæſar habet.
Scilicet Auſtriacis *Hanc* longo ſtemmate ceris,
Quod trahit agnato cum grege *Corpus* erit;
Corpus erit, trahitur Jovis ales *Corpore*, traxit
Induperatorum *Corpore* primus Avem.
Iſto virtutem non perdit, at auget odore;
Vivit dum Domini moribus illa ſui.
Non ſequitur Cæſar, ſed Cæſaris ales amores,
Ex quo virtutis ſemina ſemen habet.
Stemmata quid proſint, nè quæras Pontice: ſacræ
Hinc eſt Franciſci Nobilitatis honos.
Carminis hæc igitur maneat pars ultima noſtri:
Hoc quoque quo trahitur Borgia *Corpus* erit.

ALIUD.

Qui quæris Chriſtum, Franciſcum quære: latentis
Eſt index, ſicut corporis umbra, DEI.
Non dubitas, umbram cernens, de corpore: cernens
Franciſcum, Chriſtum non procul eſſe puta.

ALIUD.

Angelicus panis quàm ſuaves proijcit umbras!
Quêis flagrat mundus temperat ille rogos.
Quàm bene Franciſcus, panis requieſcit in umbra,
Nè mundus lædat totus in igne malo.

SYMPATHIA EIUSDEM
Cum SS. EUCHARISTIA,
Anagrammaticè
CITHARA IESU.
Per binas Citharas adumbratas.
ELEGIA.

Cûm dedit Orpheo nervus ſub pollice vocem,
 Ictaque Threïcio pectine corda melos.
Commotæ crepuêre petræ, crepuêre cavernæ,
 Et ſalijt ſaxis durior amne ſilex:
Inque chorum venêre altis de montibus Orni
 Et traxêre feras ſiſtra canora tigres:
Tum lambens tacitas ſuſpendit lympha querelas,
 Tum tenuit fluxas Iſter & Hebrus aquas.
At non Orpheos placet hîc attendere nervos,
 Eucharis Orpheum muſica vincit ebur.
Tacta relaxato ſolvantur barbita nervo,
 Omnis ad hoc ſimul eſt muſica muta melos.
Illa ſolum rapiunt, rapiunt hæc barbita cœlum,
 Illa jocis ſervit, ſed chelys iſta choris
Cur tamen eſt rarus quod motis barbita chordis,
 Et Divo tactas audiat ungue fides?
Dura minùs tygris eſt, minùs an dura aſpera petra eſt?
 Si tigris fieret, fors traheretur homo.
Erras: *juncta ſonat*, componito pectoris æſtus,
 Nam moderata ſuum dant quoque corda melos.
Vincit Pindaricæ ſtrepitus invicta Thaliæ
 Virtus, quóve chelys pectine tinnit ebur.

Non

Non chordas, ſed corda regit: ſunt diſſona cœlo
Barbita quæ diſcors pectine laxat amor.
Juncta ſonant; gaudent concordi muſica nervo
Eucharis, & dubios non amat illa ſonos.
Junge *Fidem Fidibus* (jungis Franciſce) ſonabunt;
Hæ ſolùm avertunt talia fila *Fides*.

SACERDOS PIENTISSIMUS.

EPIGRAMMA.

PRimûm dum celebrat, primam nè dicite *Miſſam*:
Franciſco nam ſunt omnia *Miſſa* priùs.

ALIUD.

Sacra facis Myſtes, & turmam non capit ædes,
Erro: fervorem non capit illa tuum.

ALIUD

Franciſcus primùm vix Myſtes prodit ad aram,
Ad ſacrum cupidè plurima turba volat:
Non hominum capiunt hos fluctus atria templi,
Sub nudo erigitur protinus ara Jove.
Agmina multa quidem video concurrere; at ipſo
Sub Jove quòd celebret, pulchrior anſa ſubeſt.
Franciſci pietas, dignum ſpectaculum Olympo eſt;
Indè volunt ejus ſidera adeſſe ſacris.

Primum S. BORGIÆ Sacrum audientibus Indulgentias Pontifex elargitnr.

PRima litat ſuperis Franciſcus ſacra Sacerdos,
Et veniam attritis dat pia Roma reis.
Theſauros pandit gaudens Eccleſia; prolem
Nam gignit veteres quæ cumulabit opes.

SANCTI
FRANCISCI BORGIÆ
CONFIDENTIA IN DEUM



ODE
TRICOLOS TETRASTROPHOS.

Dilecte ſummo, BORGIA, Numini,
Gratúmque ſemper Cœlitibus caput,
Quem terra, quem terræ potentes,
Attoniti ſtupuêre Reges.

Quæ

Quæ candicanti dextera lilio
Conjunxit amplos pennigerûm greges?
Vtrumque quod carmen coronat?
At nec arant, neque nent, Serúntve.
Ignava ducunt nunquid ad ocia?
Aut ſunt inertis pigritiæ faces?
Aſsámque per ventos columbam
Deſidibus volitare ſuadent?
Divóſne neſcis cuncta laboribus,
Et ſæpe multo ſanguine vendere?
Terrámque vultûs in madore
Et veteres coluiſſe Patres?
Nec dormienti Cerberus Herculi,
Nec pigritanti vellus Jäſoni,
Nec Troja ceſſit ſomnolentis,
Nec Babylon datur otioſis.
Ignota ventis aſſa columbula,
Caréntque frixis æquora piſcibus,
Nec terra piſtos ferre panes
Sueta, nec eſt nisì culta fruges.
At tu Paternæ fidere Numinis,
Franciſce, dextræ perge, famentibus
Hæc dextra ſuccurrit, jubétque
Sollicitas procul eſſe curas.
Corvis miniſtrat pabula parvulis,
Byſſoque veſtit lilia, Regibus
In gloria majora ſummis,
Delicijs potiora multis;
Exhauſta cernis vaſa liquoribus,
Penúmque Codri ſtemmate nobilem?
Nil ſilva, nil horti miniſtrant:
Fide DEO, Pater eſt, juvabit.

Juſtum relictum ſæcula neſciunt,
Spebúſque nemo vidit inanibus
Lactâſſe Numen poſtulantes.
Fide DEO, Pater eſt, juvabit,

EPIGRAMMATA.

1. Aurea permiſeris vivuntur tempora turmis;
Non ſiccis implent horrea, nêve ſerunt.
Vſque tamen volucres victu paſcuntur opimo
Curarum expertes, quas alit ipſe Deus.
Aurea ſi Franciſce lubet tibi vivere luſtra,
Innubéſque dies, ſit tua cura Deus.
Sit tua cura Deus, tellus tibi conferet omnis
Omnia: quàm dives, Borgia pauper eris.

ALIUD.

2. Cùm Franciſce DEO fidis fers omnia tecum
Quid mirum quòd Te non premat eſuries.

ALIUD.

3. Borgia non victûs ſatagit, ceû viveret aurâ
Fors paradiſiaca eſt Borgia factus avis.

SAN-

SANCTI

FRANCISCI BORGIÆ

EX IGNE FEBRILI VITA.



EPIGRAMMA.

ASſyriæ volucris cineres, flammæque futuræ
Symbola ſunt vitæ, Borgia magne, Tuæ.
In medium, ut vivat Phœnix, ſe conjicit ignem,
Succenſóque mori vult priùs antè rogo.
Te Franciſce, licèt fatalis torreat æſtus,
Mortíſque in cinerem Te febris ire velit.

Hoc

Hoc tamen igne novus consurges, Borgia Phœnix,
Ipséque fatalis vita Tibi ardor erit.
Sed priùs in cinerem mortis vertare necesse est,
Vt vivat Phœnix fit priùs ipse cinis.

SANCTUS FRANCISCUS BORGIAS Frigus & æstum, AMICOS appellat.

Cùm, Francisce, Tibi sint *Frigus* & *Æstus* Amici,
Cur inimicus erat mixtus utroque *tepor?*

ALIUD.

Quo, Francisce, tui Te complectuntur *Amici*,
(Nam partim frigent) est moderatus amor.
Immoderatus Amor debebam dicere: nam te
Hic fermè enecuit; nimius ergo fuit.

ALIUD.

De ijsdem S. FRANCISCI BORGIÆ AMICIS.

Qùam fidos, Francisce, legis! servire planetis
Hi socij tantùm temporibúsque sciunt.
Audio, respondes: nunquam me fallit utérque
Alteruter semper me comitatur Amor.

SAN-

SANCTUS
FRANCISCUS BORGIAS
GENERALIS SOCIETATIS.



Per Sociorum labores, Religionem & Societatem in America amplificat.

PRo cœlo pugnare calens, infeſtáque monſtro
Prælia Tœnario moturus Borgia, latè
Deſertos proſpectat agros; tantæque theatrum
Virtuti compar, mundum complexus utrumque
Nomine munitas pulchros dimittit in auſus,
Horrendas Plutoni acies. Jam regna pererrat,

Exemplóque accensa patris fervescit in annis
Jesuadûm virtus: ultra cunabula Phœbi
Sarmaticásque egressa nives, trans Parrhasis ursam,
Victrices quò nunquam Aquilæ venêre Quiritûm,
Borgia per socios infert vexilla Tonantis.
Martinez magnûm præclara propago parentum,
Borgiadæ mandata sequens, laturus ad Afros
Infractus sacra signa DEVM per Cœrula Nerêi
Latrantes sulcat fluctus; sed classis Ibera,
Maurorum dispersa metu, disjecta furore,
Heroëm nostrum majora in prælia servat,
Littora ut exhaustis fæcundet America venis.
Hic ubi præclaras animas pro nomine Divûm
Octoviri fudêre, soli sitientis arena
Mox flores mirata suos, quos Tessala Tempe
Et Pœsti stupeant horti, promittit amænum
Borgiacis fructum curis, pretiúmque labori.
Ter felix Regio quàm pectora prodiga vitæ,
Sanguine, & amotam multo sudore rigavit
Franciscus! Te tanta virûm cultura beavit,
Et virtute virens cantabere Florida terris.
Tu quoque purpureo fermè obruta Palma cruore
Martyrum, inoptatos disces dulcescere fructus
Cùm Brasilos Doctura cohors, ter dena, furente
Calvini mactata manu palmam inseret astris,
Borgiadæque operâ tenebris educta, sacrato
Thure coles Numen; Franciscum verò remoti
Laudabunt Brasili cantabit America tellus
Atque memor meriti Divûm celebrabit honore.

SAN-

SANCTUS FRANCISCUS BORGIAS Socijs Iconem Beatæ Virginis Majoris mittit.

EPIGRAMMA.

ET MATREM & NATVM ſocijs tranſmittit IESVM,
Et librum ut Socios annotet Ille ſuos.
Quis liber ille? *liber vitæ*. quàm es Borgia, Felix!
Et quorum iſte liber nomina ſcripta gerit.
Majorem natis donas, Franciſce, MARIAM,
Vt *Major Minimos* creſcere Virgo juvet.

ALIUD.

Pôrge manum Pictor, pingatur imago MARIÆ;
Quam dudum in noſtro pectore pinxit amor.
Attamen abſque DEO non ſit pictura Puello;
Non placet ut Mater ſit ſine prolè ſua.
Ad mihi commiſſos mittetur Imago SODALES;
Diſcant *hos unò jungere corde duos*.

Ejus in Sanctiſſimam Matrem Amor.

DIvinam tenero matrem ſub corde ferebat;
Quid nî geſtaret pectore? *vita* fuit.

ALIUD

Spina roſas adamat: Divinam Borgia Matrem.
Borgia ſpina fuit, Virgo MARIA roſa.

ALIUD.

Virgo parens *Speculum eſt ſinè nævo*, Borgia ſæpe
Aſpicit, ut nævos corrigat ipſe ſuos.

ALIUD.

Pellit chelydros *lilium*, virus fugat.
Nè fors Averni Borgiam ſerpens ſuis
Afflet venenis, intimis ſervat fibris
Procul receptum lilium nævo carens.

ALIUD.

Ignorat cariem Cedrus, durátque per ævum;
Floridior Cedrus numinis alma parens.
Hanc gerit inſertam Franciſcus pectore, forſan
Vivere vult Pilij tempora cana ſenis.

VITA

VITA
S. FRANCISCI BORGIÆ
PLENA MERITIS, MATURA COELO.



EPIGRAMMA.

SEriùs aut citiùs metam properamus ad unam,
Jncertam ſervant fata ſuprema diem.
Pomus poma die non ſemper perdit in uno,
In terram gravitant tempore quæque ſuo.
Quæ matura minùs viridi de fronde revulſit
Æſtas, ætatis præcocis eſſe ſolent.
Sola placent, maturo æſtas quæ torruit igne,
Quæque ad ſolares erubuêre faces.

O! quantùm Francisce, polo placuisse videris!
Teque DEVS quantùm visus amâsse fuit!
Morte cadunt alij subitâ: non omnibus ætas
Vna est; mors præcox pluribus esse solet.
Sed tibi certa fuit: non te priùs astra volebant
Esse suum, virtus quàm dedit esse virum.
Et virtus maturum astris te fecit & anni:
Si Francisce, cades; Te polus ipse leget.

ALIUD.

Hic, qui Franciscum maturum reddidit astris,
A febri non est, est ab amore, calor.
Quem primo Autumno legerunt sidera fructum,
Divino excoctus fructus ab igne fuit.

ALIUD.

Noscendam ex fructu divina Oracula dicunt,
An bona stirps dici debeat, ánne mala?
Hos in Francisco dum cernunt sidera fructus
Ad patrios nôrunt pertinuisse polos.

S. FRANCISCUS BORGIAS
In morte gloriosus.

O D E.

QVò fugis cæco furiatus œstro
BORGIA? ut sortem renuens secundam,
Gandiæ stirpem vidues decore, ut
Sidera Phœbo.
Noctis invisas meditaris umbras,
Lucis Hispanæ quid amator ausis?

Tristi-

Triſtibus totam tenebris in aulam
BORGIA ſævis?
Inſolens auſus! nec amicus ardor
Faſcinat mentem! meliora ſenti,
Præcoces fræno moderare ſenſus
Principe major.
Si ſapit menti pietatis ardor,
Et lubet vanum cicurare ſenſum
Numini dandum eſt, quod opina recti
Regula ſuadet.
Aulicus Regum, ſuperúmque cultus,
Sed ſimul pacis pepigêre, fœdus;
Ecquid Hiſpanâ fugias ab Aula?
Quæ dat utrúmque.
Novimus recti genium tenacem;
Teſtis heröæ pietatis aula eſt,
Fama victorem celebrat; Dynaſtam
Numine dignum.
Te Duce Hiſpanum meruit favorem
Cœlitum cultûs. Legit aula ſortes:
Auſpicem menſis legit, & Patronum
Sorte beatum.
Principis fulget ſtudium precandi,
Te Duce Ararum rediêre curæ.
Dum prece effusâ ſolet & Dynaſta
Pſallere Divis.
Te nemus palmis procerem coronat,
Quando venantûm volucrum rapinas
Ingemis, fraudes Erebi ſub iſto
Schemate plorans.

Sic

Sic faves Divûm ſtudio, nec aulæ
Jura faſtidis. Quid inane tandem
Principi illudit? fugiens ut Aulam,
Serviat aſtris?

Sed calet primis animus favillis;
Principis gazæ, tituli, atque ceræ
Anxio mentem ſcrupulo fatigant
Nauſeat orbem.

Res nova! inviſam ſibi fingit Aulam,
Quóſque ſuſpirant alij favores
Prodigis jactat furijs & Irum
Crœſus adambit.

Ergo, qui multo pretioſus auro
Gemmeo corpus varians honore,
Follicans byſſo; Tyrióque fulget
Murice princeps,

Geſtit exili miſer in lacerna
Nobiles vitæ maculare ſoles,
Ac honoratam ſenior juventam
Perdere luctu?

An ſapis? mentem genius ſereni
Conſilî triſti temerat receſſu.
Siſte fatales moderator auſus,
Borgia ſiſte!

Sed velut mœſti furias Averni,
Aut truces hydræ patulóſque rictus
Concito curſu fugit, & ſuperba
Tecta relinquit.

Gandiæ faſtus, & avita Patrum
Nomina, & dulces in honore gazas
Deſerit natis, fugiénsque clauſtri
Jura capeſſit

Jámq;

Jámque vileſcit genius, nec ultrà
Principis claros moderatur annos.
Gaudet ad ſannas, famulámque vivit
Borgia vitam.
Vah pudor! fatis inimica textis
Probra confundens titulos avorum;
Gloriam infami tumulas ſepulchro
Prodigus ipſe.
Fallor! ô Divis inimicus error,
Fallor! illuſit furor, ac iniquo
Dente cenſores ſtimulavit auſus.
Fallimur omnes.
Roma feſtivis reſonat triumphis
Fama gemmatis volitans quadrigis
Borgiæ auguſtos titulos ſuperbo
Buccinat ore.
Jam ſuper ſtratos remicat Coloſſos
Victor affuſo radioſos auro,
Et Ducum primos duplicans triumphos
Clariùs ardet.
Inter auguſtos proceres Tonantis
Gloriam pleno ſtabilivit ævo,
Orbe jam toto rutilant trophæis
Nomina SANCTI
Scilicet ceras fugiens avitas
Nobili victor decoravit auſu,
Gandiam & Patrum veteres triumphos
Auxit honore;
Quos nec auratis radioſa ſceptris
Dextra, nec Regum redimita ſerto
Tempora, aut Martis generoſus ardor
Fortè tuliſſent.

Sic opum fulgor redijt ſereno
Sole, Fortunæ charites amicis
Nexibus palmas religant virentes
Tempora cingunt.

Sic triumphales peperêre pompas
Sceptra regnorum decora, & ſuperbis
Ingemens curis animus, dicatus
Numini & aſtris.

Sic ſapit, quiſquis melioris auræ im-
pulſus afflatu ſtimulatur aulæ
Nomina anguſto ſepelire clauſtro
Numine Dives.

Ite nunc Patrum titulis ſuperbi,
Et profanato blaterate labro:
Non ſapit, quiſquis fugit ominoſam
Nobilis aulam.

Falleris! docti ſapias ab arte:
Eſt honor lucis fugientis umbra,
Si capis, perdis, fugientis artes
Sponte ſequetur.

Nobilis luctæ fit honor coronis,
Dum fugis mundum, ſequeris bravium,
Sic docet partis hodie trophæis
Borgia Princeps.

S. FRANCISCUS BORGIA Immortalis.

BORGIA non moritur. Mors fruſtra falce laboras,
Mors huic vita fuit; neſcijt ergo mori.

ALIUD.

ALIUD.

Quamvis tenebris ſqualidior parens
Te Mors creavit; tu tamen eſſedis
Fulgentibus vectus micabis
Matre nigrâ generate cygne.

ALIUD.

Si tetra noctis umbra
Stellata pandit atria;
Tu nate mortis umbrâ
Lucebis inter ſidera.

S. FRANCISCUS BORGIA

à CLEMENTE X. Canonizatus, Mariano cantico magnificatus.

PROGRAMMA

Magnificat anima mea Dominum &c.

Cum toto Gloria Patri, Amen.

Numerus literarum.

A.	æ.	B.	C.	D.	E.	F.	G.	H.	I.	L.	M	N.
39.	7.	6.	24.	14.	76.	4.	6.	6.	76.	15	33.	37.

O.	P.	Q.	R.	S.	T.	V.	X.
29.	19.	3.	29.	55.	54.	43.	4.

ANAGRAMMA.

Semper honos, Franciſce tuus, noménque manebit,
Fælix Dive pijs, & juſtis digne triumphis,
Reſpice nos Clemens ex ætheris æde patentis
Ac inter Divos cæleſti ſede receptus,
Noſce Dei mites Socios, & nomine JESU
Cælitibus devota pijs, & ſicut Oliva
Inſignis pietate cohors te ſemper amabit:

Sic

Sic mundi Custos virtutum maxima natu
Clementem divina diu clementia servet,
Vt vivat, videátque Petri mitissimus annos.
Suavi sit nobis & miti faustus amore;
Borgia divina cum Majestate Triumphet.
O Clemens Tiberine Pater *de flumine magno*
Romanæ pietatis honos, altissima rerum
Gloria, pax justo mitissima regnet in ævo,
Imperijque parens Ecclesia cuncta serenet.
Austria cum certa LEOPOLDI prole perennet! *Pro Anno Canonizationis*

ANNO
Ultimi versûs Cabalistici. 1671.
Pro quo computando consuetus literarum valor adhibetur.

PROGRAMMA.
ISABELLA.
ANAGRAMMA.
ABILLA ES.

BORGIA nil fueras, quamvis DVX, totus *ab illa es.*
A te, quæ nuper visa *ISABELLA fuit.*

ANAGRAMMATISMUS.
PROGRAMMA.

BEatus Vir, qui inventus est sinè macula, & qui post aurum non abijt, nec speravit in pecuniæ thesauris Quis est hic? & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probatus est in illo, & perfectus est, erit illi gloria æterna. Eccles. cap. 31.

ANA-

Est Sanctus Franciſcus Borgia Societatis IESU. En ſtella vitæ, in ſinu Pij; erat via illi vita abſque labe: quin virtute fuit beatus & venerabilis; quem Clemens Decimus Papa triumphanti ſuperûm militiæ inſeruit, & honore ornavit.

Numerus literarum.

A.	Æ.	B.	C.	D.	E.	F.	G.	H.	I.	L.	M.	N.	O.	P.	Q.	R.	S.	T.	V.
16.	2.	5.	6.	1.	20.	2.	1.	2.	28.	8.	6.	12.	5.	5.	3.	10.	17.	19.	21.

ÆNIGMA.

Gandia rem facies, ſi propugnacula Romæ
Tranſtuleris: tunc te Borgia dicet; AMO.

ALIUD.

Flumine de MAGNO fons fertur ad aſtra, RIGABO.
Oedipe, dic quo fons iſte, ſub axe latet?

ϰιφ☉.

Est aliquid totum, cane quod magìs odit & angue,
Quódque ſibi gravius Borgia morte putat.
Oedipe tolle caput, reliquum - Franciſcus amabit
Atque genu flexo procidet ante pedes.

αλλ☉.

Ut ſapiam, & mecum portem mea ut omnia, ſolos.
Aule, relinque pedes, prætereáque caput.
Si me Triptolomum cupis eſſe, vehíque per orbem
Colla mihi, & primo cum pede, tolle caput.
Antè tamen mediam Grajorum ponito furcam,
Quàm geminum jungas Oedipe quadrupedem.

αλλ☉.

Quis taurum ornatum mitris, oſtróque litavit
Chriſto, vis dicam? BIS Theodore ROGA.

SUMMARIUM VITÆ.

F Unera quid poſſunt ? nam F Unus vita B E A T I
V Ictoriſque fuit. moriens V Iventis avit A
I Sabella parensquid luges G Andia ? vita M
T Riſtibus eripuit fatis I N, amica tonant I
B Ella ſalit. genius, T Oto mens enthea Mart E
O Dolor ! exclamat, mundo D Eludimur omne S
R Egales ſtupuiſſe genas, E T perdita luct V
G Audia, noſſe juvat ; I Uſtos mens falſa furore S
I Mpatiénsque coquis ! N On ultra, poplite curv O
A Ccidet, illicijs O fraudem ! huc jactus &illu C
D Eluſúſque animus P Oſthac tibi vivo tonant I
V Ltrices jam vivo dies, E T ſemita, greſſ V
X Averij decorata, meum S Ibi junget amore. M
G Andiaci vos eſte duces ! H Onor omnis ut umbr A
A D tumuli triſtem trahit O Mnia funere pompa M
N E fallar fallo, fugio N E fallar ab umbr A.
D Ixit & illacrymans, O Fatum ! ô flebile fatu M!
I Sabella vale R Egum digniſſima planct U
Æ Nigma es mundo ! non E St hæc fabula ſphyngi S
S-

PArcite Gandiaci **S**I veſtro raptus ab orb**E**
REtia jacta timens, **V**Erſuto fugero ab aſt**V**
OSuperi faveant! **I**N amicam Ignatius ulna**M**
COncita vota vocat, **R**Omam volitamus amor**E**
ET jam vela damus, **T**Ua IESU ſigna refulgen**T**
REgia ſigna ſequor, **V**Otis Pater annue nut**V**
HIc vixit princeps **T**Antâ virtute, notiſqu**E**
INclitus, ut fulgens **I**Nter ſua ſidera Tita**N**
SIſte gradũ Metanæa Ducis **S**Ic fulget honor**E**
POſt luctam Princeps **A**St primo Principe majo**R**
ARte novâ vicit **M**Ortem, victórque trophæ**A**
NOn violanda tenens **O**Btritum deſpicit orbe**M**
INſertúſque polis **R**Edimitus ſolis amict**V**
ÆTernùm fulget, non **E**St fuga nobilis erro**R**

CARMEN CABALISTICUM.

PRO ANNO CANONIZATIONIS S. BORGIÆ.

En lætos Franciſce dabit tibi mundus honores
Applauſu celebri dum tua feſta colet.

ALI-

ALIUD.

Illecebras carnis ſervilis, dæmonis aſtus;
Ac piceos mundi FRANCISCUS fugit honores.
Cur non æthereæ deguſtet gaudia vitæ?

PROBA.

Illecebras	carnis	ſervilis;	Dæmonis.	aſtus.
I 9	c 3	ſ 90	d 4	a 1
l 20	a 1	e 5	a 1	s 90
l 20	r 80	r 80	e 5	t 100
e 5	n 40	u 200	m 30	u 200
c 3	i 9	i 9	o 50	s 90
e 5	s 90	l 20	n 40	
b 2		i 9	i 9	
r 80		s 90	s 90	
a 1				
s 90				
235	223	503	229	481

235
223
503
229
481

1671.

Ac	piceos	mundi	Franciſcus	fugit	honores.
A 1	p 60	m 30	F 6	f 6	h 8
c 3	i 9	u 200	r 80	u 200	o 50
	c 3	n 40	a 1	g 7	n 40
	e 5	d 4	n 40	i 9	o 50
	o 50	i 9	c 3	t 100	r 80
	s 90		i 9		e 5
			ſ 90		s 90
			c 3		
			u 200		
			s 90		
4	217	283	522	322	323


4
217
283
522
322
323

1671.

Cur	non	æthereæ	deguſtet	gaudia	vitæ
C 3	n 40	a 1	d 4	g 7	V 200
u 200	o 50	e 5	e 5	a 1	i 9
r 80	n 40	t 100	g 7	u 200	t 100
		h 8	u 200	d 4	a 1
		e 5	ſ 90	i 9	e 5
		r 80	t 100	a 1	
		e 5	e 5		
		a 1	t 100		
		e 5			
283	130	210	511	222	315


283
130
210
511
222
315

1671.



MATHESIS BORGIANA

Ex Actis Vitæ S. FRANCISCI Collecta



MATHEMATICIS etiam Disciplinis operam dedit FRANCISCUS, ijs præsertim, quas in optimo belli Imperatore requiri audiebat, ad machinas molesq; jaciendas, moenia munienda, loca castris capienda, Cæli soliq; situm, & naturam investigandam. *Andr: Schottus lib: 1. cap: 5.*

PROBLEMA ALGEBRAICUM.

Carolus V Imp: numerum militum 18000, quos contra Tunetanos classi imposuit, à FRANCISCO navigationis comite secari jubet in duos, ita ut eorum major ad minorem habeat rationem, ut 3 ad 2, & insuper differentiam 125.

Minor esto 2. R Major igitur erit 3. R + 125. Horum aggregatum 5 R + 125 = 18000, & ablatis similibus fiet æquatio 5 R = 17875. Ac instituto Parabolismo invenietur 1 R valor 3575. minor igitur erit 7150 major 10725. + 125, hoc est 10850. ut patet ex Synthesi

PROBL. GEOM. MILITAR.

Barcinonem quà mari alluitur muris nudam cinxit Franciscus, molemq; jecit, cui etiam Francisci nomen adhæsit (idem lib. 1. c. 8) Detur in eo propugnaculo Angul. CDE rect. FAB XII gul. Capitalis AD pedum 240, cui sit æqualis Facies DE: Oporteat invenire Lineam colli AF, Alam FE, ac deniq; Aream totius propugnaculi FDB.


Quoniam in Isoscele ADE Angul. D semirect. est, noti quoq; erunt et reliqui, & ipsa basis pedum 183 $\frac{68}{100}$ + et quia dati quoq; sunt duo DAE, GAE, dabitur et reliquus FAE in Δ^{lo} EFA rectangulo ad F, cujus Analysi factâ per Trigonometr: linearem, vel Logarithmicam, invenietur AF pedum 145 $\frac{72}{100}$ +, FE 111 $\frac{81}{100}$ +

Ex his Area non difficulter elicitur. Semissis AE est 91 $\frac{84}{100}$, hujus $\square^{m}$ subductum ex $\square^{to}$ ipsius AD, relinquit $\square^{m}$ ipsius DH, quæ sit 226 $\frac{19}{100}$ + Ductis igitur DH in AE & AF in FE, producitur Area totius Propugnaculi Pedum quadratorum 70578 $\frac{5532}{10000}$ +

PROBLEMA GEOGRAPH:

Gandia Romam Anno Sancto profecturus FRANCISCVS, nosse cupit, quod grad. Circuli Terræ maximi vel Azimuth intercedant Romam inter & Gandiam. Oporteat illos invenire.

Latitudo Romæ est 41. 54' Longitudo 36. 18. Gandiæ Latit: 39. 10. Longit: 22. 35. Differentia Longitud: 13. 45. Sit igitur in Δ^{lo} ABC Terræ Polus B, Roma C, Gandia A, Latitudinis Romanæ Complementum est CB. 48. 6', Gandiæ AB 50. 50. Cùm igitur dentur duo latera AB, BC, & Angulus ABC 13. 43, dabitur per Analysim Δ^{li} obliquanguli & basis AC 22. 46. Tot igitur gradus Romam inter et Gandiam interjacent. qui æquivalent Milliaribus Germanicis 341 $\frac{1}{2}$



ΠΑΡΕΡΓΟΝ Pronicum.

Numeri Quadratis inscripti si perpendiculariter, aut transversaliter addantur dant Annos à Christo Nato, quibus S. Franciscus Borgia

Natus

370	384	383	373
381	375	376	378
377	379	380	374
382	372	371	385

1510

Mortuus

386	399	398	389
396	391	392	393
392	395	396	389
398	387	386	401

1572

Beatificatus


398	413	411	402
410	404	404	406
405	407	409	403
411	400	400	413

1624

Canonizatus

410	424	423	414
421	415	417	418
417	420	420	414
423	412	411	425

1671





CHEMIA BORGIANA

ELIXIR VITAE

Ex Capite mortuo ad Vitam perenniter conservandam



[a]℞ vel saltem Respice [b]☉ sive illud sit ex [c]♃, [d]♂, sive ex [e]☽, [f]♀, quodlibet enim [g]M est aptissima ad eliciendam inde [h]Ǫ. ponatur ad [i]♆ per octo [k]☍ circiter, donec [l]☿ in sua Elementa [m]▽ & [n]▽ sive [o]Ꝑ et [p]♐ Ex quibus, si duræ cervicis non es, habebis [q]☿ adhibito [r]Θ & [s]♎ s. [t]a.

[a]Recipe [b]Caput mortuum [c]Joue [d]Marte [e]Luna [f]Venere [g]Materia [h]Quintam essentiam [i]putrefactionem [k]Dies & Noctes [l]Solvatur [m]Terram [n]Aquam [o]Limum [p]Phlegma [q]Lutum sapientiæ [r]Sale [s]Spiritu [t]secundum artem.

PRÆPARATIO CORPORIS

Ut Corpus tuum per [u]SP primum [x]◡ ac tum [y]☊ colloca illud in [z]MB, tum in [a]C, ac deniq; in [b]Ꝗ donec ex capite [c]✕ eliciatur fons [d]▽ salutaris Hæc enim est [e]▽ et [f]Ꝛ, hæc [g]▽ penetrans omnem duritiem hæc deniq; est [h]☿, qua corpus sæpius debet [i]✡ & ad albedinem Cygni perduci.

[u]Spiritum [x]purificet [y]exaltetur [z]balneo Mariæ [a]Cinere [b]reverberio [c]Alembici [d]aquæ [e]Aq. fortis [f]Aq. Regia [g]Aq. solvens [h]Aq: Vitæ [i]imbibitione humectari

REGIMEN IGNIS

Est [k]△ alius internus & Centralis, sine quo nihil in hac arte producitur: alius externus ille Vulcani, sive [l]◬, cui pabulum indeficiens subministrat, non solum [m]🜍 et [n]🜏, sed etiam [o]♆ ac [p]⊕. Posterior hic △ priorem illum si langvidus est excitat acuitq; [k]Ignis [l]Ignis rotæ [m]Sulfur [n]Sulfur nigrum [o]Oleum Tartari [p]Nitrum


UNIO SPIRITUS

℞ tuum [q]SP quem sæpius à corpore abstrahe, & rectifica, ac postquam bene [r]pp. fuerit, conjunge cum [s]☉, ut hujus radiis illustratus, & fermentatus, transeat in [t]QE: Istud [u]A reddatur non solum [x]XX, sed etiam [y]≈, ut in quavis △ asperitate quiescat Hoc si consecutus es lauda DEUM, qui te tam pretiosi thesauri participem effecit. [q]Spiritum [r]purat. [s]Sole [t]qnt ess: [u]Amalgama [x]Coagulati [y]Fixum

USUS ET DOSIS

Hæc benedicta medicina liberat, & præservat ab omnibus morbis corporis & animæ Memoriam firmat. Intellectum illustrat, Cor confortat verbo, infinita bona Vitæ huic, et alteri Confert. Dosis ejus est tot [a]℔. [b]℥. [c]ʒ. [d]℈. quot haberi possunt, aut [e]q. s. Sumatur quolibet [f]♋, [g]♈, [h]♉, et [i]♊. præsertim jejuno stomacho. Conveniens ejus vehiculum est succus herbarum, Gratiæ Dei, Manus Christi & Sigilli Mariæ.

[a]Libræ [b]Vnciæ [c]Drachmæ [d]Scrupuli [e]quantum satis [f]Anno [g]Mense [h]Die [i]Hora



2 2 2

3 1 5

---

1 6 7 2.